6
6-e
10

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
6 D
28

1785.
1784.
1783.
1782.
1781.

de Laurentiis.

6-6.e.10

Digitized by Google

INSTITUTIONES ORATORIAE

QUIBUS ACCEDUNT

CAROLI MAJELLI

SELECTAE ORATIONES

AD USUM

SEMINARI I NEAPOLITANI.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

NEAPOLI MDCCLXV.

APUD VINCENTIUM URSINUM.

SUPERIORUM PERMISSU AC PRIVILEGIO.

AD SEMINARI NEAPOLITANI ADOLESCENTES.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

IN dubium revocari non poteſt, Adoleſcentes optimi, quod olim egregium illud Catholici Orbis lumen Auguſtinus non obſcure ſignificavit (*), comparatas nimirum ab ethnica antiquitate diſciplinas ita tandem a Deo O. M. ſacroſanctae Eccleſiae fuiſſe tranſmiſſas, ut iiſdem ea, veluti quondam Aegyptiacis opibus electa natio, ad commune ſuorum commodum uterentur. Cum enim perampla illa doctrinarum congeries quam plurimum utilitatis contineret, divinae Providentiae viſum eſt iniquis eam poſſeſſoribus, qui vix quidquam fructus inde colligerent, ereptam Chriſtianae amplificandae tuendaeque reipublicae mancipare. Id autem cum de ceteris artibus univerſis exploratiſſimum habeatur, praecipuo tamen quodam jure de Oratoria affirmandum eſſe videtur; quippe quae mortalium animis ad veri rectique normam conformandis nata & longe majora prae reliquo litterarum apparatu affert emolumenta, & multo propterea dignior fuit, quae tam praecellenti uſui dicaretur. Atque hinc certe factum eſt ut acerrimi illi veterum aetatum Viri, quos Deus Immortalis ad hominum ſalutem accurandam identidem excitabat, quo divinis conſiliis obſequerentur, nihil plane habuerint antiquius, quam ut plurimis eloquen-

(*) *De Doctr. Chriſt. II. 40.*

tiae viribus ſeſe inſtruerent, quas inde tam arduo peragendo operi peropportune adhiberent. In quo quidem incomparabilis momenti negotio ita illi non mediocri ſedulitate contenti erant, itaque omnibus tantae facultatis armis praeſidiiſque utebantur, nihil ut minus timeri poſſet, quam ne ſuſceptae res feliciter evenirent. Ex quo jam mirum videri non debet, ſi eam illi viam, quam Deus ipſe commonſtraſſet, acriter inſiſtentes tam multa ac tam praeclara geſſerint, ut neceſſario fatendum ſit, infinita prorſus eſſe, quae ex uno eloquentiae fonte in Chriſtianam rem commoda redundarunt. Heic vero ſi congerendis in rem exemplis immorari vacaret, quam multa ſane pulcherrima vel de Gregorio Nazianzeno, vel de Joanne Chryſoſtomo, vel de Cypriano, vel de Hieronymo, vel de compluribus aliis ſummae doctrinae ac ſanctimoniae Viris in medium proferre liceret; quibus illuſtria per hanc potentiſſimam artem ab ipſis patrata facinora palam fierent! Verum neque id locus poſtulat, & illa rurſus nullibi non vel nolentibus ſeſe dant obviam.

Ex his autem jam per ſe patet, quanta Eccleſiaſtici ordinis hominibus oratoriae diſciplinae ratio habenda ſit, ſi pro eo ac par eſt, ſapientiſſimorum Eccleſiae Patrum veſtigia conſectari velint, necnon graviſſimis in ſe collatis muneribus pro merito ac dignitate perfungi; quae ſcilicet plurimum in verbo poſita non vulgare eloquentiae robur ſplendoremque deſiderant. Etenim cum inter ea non ultimum illud ſit, falſas hominum opiniones jamdiu inveteratas vitiaque firmiſſime conſtabilita dicendo evertere; ecquis non videt ad tantae difficultatis conficienda negotia incompara-

bilem plane orationis vim & copiam poſtulari ? Vt vero animi a virtutis amore omnino alieni ad honeſtatem repente & vel ad difficillima quaeque aggredienda adducantur, quam bene apta perſaepe opus erit ſermonis concinnitudine & venuſtate, qua veluti quadam eſca illecti nec opinantes illuc, quo ipſorum utilitas flagitat, attrahantur ? Jam porro quantam toti dictioni, quae circa ſublimiſſima quaeque plerumque verſatur, majeſtatem ac decorem ineſſe oportebit, quo tum argumenti amplitudini & divinae legationis dignitati reſpondeat, tum vero etiam maximarum rerum, quae tractantur, non minorem, quam aequum ſit, auditoribus ingerat opinionem ? Has autem & plurimas id genus alias orationis dotes, ſine quibus fruſtra ferme quilibet eſſet dicendi labor, cum non aliunde quam ex intimo eloquentiae ſtudio comparari poſſe ipſa per ſe res clamet; conſequitur profecto eos, quibus in ſortem Domini vocatis aliena ſalus concreditur, in illam non quidem e vix quidpiam utilibus rivulis, ſed ex uberrimis fontibus ad id divinitus ſervatis hauriendam omnes animi curas conferre debere.

Jam vos igitur, Adoleſcentes, qui in hoc Seminario in maximam Neapolitanae praeſertim Eccleſiae ſpem ſuccreſcitis, videtis certe, quid potiſſimum ſit vobis in tanta iſta ſtudiorum veſtrorum contentione ſpectandum. Etſi enim reliquas diſciplinas omnes, utpote incredibili futuras uſui, ſumma neceſſe eſt alacritate arripere, praecipue tamen in oratoriam artem univerſos ſollertiae nervos intendatis oportet; ſine qua nimirum praeſidio omnium praeſentiſſimo ad ea ſuſtinen-

nenda munia, ad quae vos vocat Deus, deficeretis. Id itaque ut quam qui maxime agatis, tum inſtituti veſtri Eccleſiaſticam rem unice ſpectantis ratio, tum vero multorum hominum incolumitas veſtrae olim committenda fidei ſuadet. Id etiam non minime commonet omnis retro aevi ſapientum non dubia de eloquentia opinio, quam videlicet praecipuum ſemper Chriſtianae reipublicae firmamentum unanimi conſenſione habuerunt. Ad id porro ipſum excitare vos debet in primis rara illa vigilantiſſimi Paſtoris ANTONINI SERSALIS cura & induſtria, qua nihil omnino reliquum facit, quo clerum ſuum, voſque prae ceteris ad apoſtolici officii partes abſolutiſſime informet. Vos ipſi teſtes, quanta ille ſollicitudine veſtro & ad ſummam pietatem, & ad omne doctrinarum genus progreſſui adlaboret; quippe cum ejus rei non deſint vobis in dies ſingulos plurima & luculenta admodum argumenta. Ut ecce, ne ad alia excurrat oratio, hic ipſe Oratoriarum inſtitutionum libellus, qui nunc primum ſumma eiuſdem Eminentiſſimi Principis voluntate typis editus in veſtras traditur manus, non alia certe de cauſſa, quam ut ad maxime expetendam vobis dicendi facultatem aditus multo quam ante pateat expeditior. Quamobrem cum aequum ſit, vos tanto Parentis amantiſſimi ſtudio obſecundare, hoc opuſculum e paterna in vos ejus benevolentia profectum grato animo excipite; & quam ille fructuum copiam per vos hinc plurimis allatum iri confidit, labore maximae ejus expectationi non impari colligendam curate.

IN-

INSTITVTIONES ORATORIAE IN QVATVOR LIBROS DISTRIBVTAE.

DE NATVRA RHETORICES ΠΡΟΛΕΓΟΜΕΝΑ.

ANTEQVAM artis, de qua dicere aggredimur, praecepta proponamus, doctrinae ratio poſtulat, ut quae, & qualis ſit, primum aperiamus. Itaque quid ſit Rhetorica, quinam ejus Finis, quae Materia, quis Auctor, quae Dignitas, in hiſce Προλεγομένοις definiemus.

I. Rhetorica a verbo ῥέω (*dico*) deſcendit, ut alia quoque verbalia indidem protecta oſtendunt, nimirum ῥῆμα (*verbum*) ῥῆσις (*dictio*) ῥήτωρ (*rhetor*). Quare falſo nonnulli dictam exiſtimant a ῥέω (*fluo*), quod hujus artis beneficio veluti flumen procurrat oratio: nam inde emanaret ῥευτορική, ſicut ex eodem verbo rite formantur ῥεῦμα (*fluentum*) ῥεῦσις (*fluxio*). Itaque ſi vim nominis reputemus, *Ars dicendi* appellanda videtur.

Sed quoniam non ſolum Rhetorica, ſed aliæ quoque artes, ſcilicet Grammatica, & Poetica, circa ſermonem verſantur; propterea ut ejus natura planius dignoſcatur, bene erit, ſi Tullii verbis I. de Invent. 5. ita definiatur: *Ars apposite dicendi ad perſuadendum*. Ars autem jure appellatur, quia regulas tradit, quibus opus quodpiam, nimirum oratio, perficiatur. *Appoſite* vero *dicere* eſt ad rem dicere; ſive omnia, quae comparavimus, eo intendere, ut auditorum animos ad eadem, quae nos ſentimus, pertrahamus.

II. Jam cum univerſa ab oratore ad perſuaſionem collineentur, neceſſe eſt dicere, ultimum ejus Finem eſſe *perſuadere*. Quod quidem & Ariſtoteles ſenſit; qui I. Rhet. 2. ait: ἡ Ῥητορική ἐστι δύναμις περὶ ἕκαστον τοῦ θεωρῆσαι τὸ ἐνδεχόμενον πιθανόν: *Rhetorica eſt facultas in unaquaque re videndi, quod in ea eſt ad perſuadendum idoneum.*

At enim Quintilianus II. 15. contendit finem Rhetoricae non quidem eſſe *perſuadere*, ſed *bene dicere*, cum non ſit illud in poteſtate oratoris, neque orator ſemper ſit exorator. Verum ſciendum eſt ex Platone duo eſſe artium genera, unum quod per ſe ipſum conſequitur ſuum finem, cujuſmodi ſunt Fabrica, Sutrina, ceteraeque tales; alterum, nec ſane minoris pretii, quod non ſemper ſine ſuo potitur, ut Medicina, Nautica, Oratoria. Itaque ſi orator non perſuadet, nequaquam id artis vitio, ſed vel auditorum, vel dicentis culpa fieri exiſtimandum eſt.

III. Materiam Rhetoricae quamlibet quaeſtionem tum πρακτικήν, quae ſcilicet circa actiones verſetur, tum θεωρητικήν, quae ſolam rerum cognitionem reſpiciat, nonnulli conſtituerunt; ſiquidem nihil eſſe ajunt, de quo non poſſit oratorie diſputari. Verum, ut hoc totum recte ſibi conſtet, inficiandum tamen non eſt, maxime proprium oratorum eſſe πρακτικὴν quaeſtionem; licet ſaepiſſime illi ad eam illuſtrandam e ſpeculatricibus etiam ſcientiis, ſicut & e ceteris rebus omnibus, petita argumenta pertractent: unde eſt, ut Ariſtoteles τὸ ἕκαστον ſubjecerit oratori.

Quaeſtio vero ipſa vel indefinita eſt, Graece θέσις, Latine *propoſitum* & *conſultatio* appellata, quae ſcilicet nullis nec temporis, nec loci, nec perſonarum adjunctis determinatur; e. g. *an liceat occidere inſidiatorem:* vel definita, quam Graeci ὑπόθεσιν, Latini *cauſſam*, & *controverſiam* dixere, quae ſuis nimirum circumſcripta eſt adjunctis; e.g. *an Milo Clodium inſidiatorem jure interfecerit*. Quae autem in primis ad oratores ſpectat, eſt hypotheſis; quam tamen ad theſim dicendo revocare, quo major copia comparetur, in more eſt poſitum; quandoqui-

doquidem *a propriis*, inquit Cic. in Orat. 14. *perſonis & temporibus ſemper, ſi poteſt* (orator), *avocat controverſiam; latius enim de genere, quam de parte diſceptare licet.*

IV. De Auctore artis rethoricae dicturi, non heic cum Quintil. III. 1. Graecos homines percenſebimus, quorum ſtudio perpetuis aucta incrementis eloquentia ad Romanos demum, atque adeo ad faſtigium, & maturitatem quamdam ſuam, ut loquitur Tullius, pervenerit. Sed potius ejus originem cum eodem Fabio ejuſdem Lib. III. 2. a natura, ab utilitate incrementum, ab exercitatione perfectionem agnoſcimus. Quae fere ipſa declarat Cic. I. de Orat. 32. ubi concludit, non eloquentiam quidem ex artificio, ſed artificium ex eloquentia natum eſſe.

V. Quod denique ad illius Dignitatem utilitatemque pertinet, mira plane ſunt, quae de ea praedicant tum Ariſtoteles in Praefat. Rhetor. ad Alexandrum, tum Fabius II. 16., tum praeter ceteros Tullius ex perſona Craſſi I. de Orat. 8. e cujus quidem verbis abs re non erit huc pauca conjicere: *Quid enim*, inquit, *eſt aut tam admirabile, quam ex infinita multitudine hominum exſiſtere unum, qui id, quod omnibus natura ſit datum, vel ſolus, vel cum paucis facere poſſit? aut tam jucundum cognitu atque auditu, quam ſapientibus ſententiis, gravibuſque verbis ornata oratio, & polita? aut tam potens, tamque magnificum, quam populi motus, judicum religiones, ſenatus gravitatem, unius oratione converti? Quid tam porro regium, tam liberale, tam munificum, quam opem ferre ſupplicibus, excitare afflictos, dare ſalutem, liberare periculis, retinere homines in civitate?*

Neque vero officit, quod interdum eloquentiae vi excitata bella, violata foedera, everſae urbes, atque alia exarſiſſe mala dicantur. Ita enim rerum univerſarum ratio comparata eſt, ut ſi iis temere utatis, in perniciem evadant. Quare ſapienter Ovid. II. Triſt.

Igne quid utilius? ſi quis tamen urere tecta
Comparat, audaces inſtruit igne manus.

Jam vero quoniam Oratio, qua orator dicendo perſuadeat, & ad quam conficiendam, veluti hujuſce artis opus, omnia praecepta conferuntur, rebus, & verbis conſtat; in rebus autem Inventio, in verbis Elocutio, tum in illis Diſpoſitio, in his Collocatio ſpectari debet: idcirco ordine videndum erit in I. libro de rerum dicendarum Inventione; in II. de earumdem Diſpoſitione; in III. de verborum Elocutione; in IV. demum de eorum Collocatione.

LI.

LIBER PRIMUS DE INVENTIONE.

INVENTIO, inquit Tullius I. de Invent. 7. *eſt excogitatio rerum verarum, aut veriſimilium, quae cauſſam probabilem reddant*. Sed quia oratori, ut conſtitutum ſibi finem perſuadendi aſſequatur, non tantum opus eſt argumentis, quibus cauſſam probet auditoribus, ſed iis etiam, quibus eorum animos & ſibi conciliet, & permoveat; propterea in praeſenti libro de Inventione argumentorum, quae tum ad docendum, tum ad conciliandum, tum ad concitandum pertinent, agendum erit. Sed prius quae ad argumenta in genere ſpectant, nonnulla expedire juvabit.

CAPUT I.

De Argumentis in genere.

ARGUMENTUM ab *arguendo* dictum declaravit Agraetius antiqnus grammaticus: *Arguere*, inquit, *eſt oſtendere & patefacere*. *Virg.* Degeneres animos timor arguit. *Unde argumenta dicuntur, quae cauſſam cauſſae oſtendunt*. Cum autem varia & multiplex ſit apud ſcriptores *argumenti* acceptio; quo tamen ſenſu utuntur ea voce Rhetores, definitur a Fabio V. 10. *Ratio probationem praeſtans, qua colligitur aliud per aliud; & quae quod eſt dubium, per id quod dubium non eſt, confirmat*. Itaque ſemper in argumento contineri aliquid debet, quod certum aut reapſe ſit, aut videatur; & ex quo, cum ipſum probatione non egeat, rebus dubiis fides accedat. Dubia enim non ex dubiis & incertis, ſed ex certis exploratiſque firmantur.

Quae autem pro certis habeantur, idem Fabius Quintil. ibidem indicat: 1. nimirum, quae ſenſibus percipiuntur. 2. quae unanimi hominum conſenſione tenentur; ut quae pertinent ad Dei cultum, & pietatem erga parentes. 3. quae legibus ſunt conſtituta, vel conſuetudine & moribus firmata. 4. denique quidquid inter partes convenit. Quae his igitur argumenta nituntur, pro certis habeantur oportet.

Poſt certa apud eumdem artis magiſtrum ſequuntur credibilia, quae pro diverſo veriſimilitudinis momento in tres claſſes diſtributa ſunt. Prima, & quidem firmiſſima, eſt eorum,

rum, quae fere ſemper accidunt; ut liberos a parentibus amari. Altera eorum, quae ſaepius, quam contra, evenire ſolent; ut ſanum & viribus pollentem hominem ad craſtinum perventurum. Tertia eorum, quae interdum contingunt; ut furtum ab eo, qui domi fuit, factum eſſe. Ex his autem poſtremis deducta argumenta, licet ſingula incerta ſint atque infirma, conjuncta tamen plurimum valent, & ad faciendam rei fidem aptiſſima ſunt.

Ex univerſis porro argumentis alia dicuntur Inſita, quae ab oratore excogitantur, atque ex ipſa re petuntur; alia Remota, quae extrinſecus oratori tractanda offeruntur.

Inſita autem triplicis ſunt generis: quaedam *τοῦ λόγου* ratione rei, quae pertinent ad docendum (quod idem praeſtant Remota, de quibus ſuo loco): quaedam *τοῦ ἤθους* ratione oratoris, quae pertinent ad conciliandum: quaedam denique *τοῦ πάθους* ratione auditoris, quae pertinent ad concitandum.

Auſpicabimur itaque ab argumentis *τοῦ λόγου*, quae etiam *ἀποδεικτικά*, ſcilicet *demonſtrativa*, nuncupantur.

C A P U T II.

De argumentis ἀποδεικτικοῖς.

PLURES quidem ſunt argumentorum *ἀποδεικτικῶν* Sedes, ſive Loci, iique vel omnibus cauſſarum generibus communes, vel ſingulis peculiares. Nos ceteris alio rejectis, de communibus heic verba faciemus. Hi vero enumerantur ſexdecim: DEFINITIO, PARTIUM ENUMERATIO, NOTATIO, CONJUGATA, GENUS, FORMAE, SIMILIA, DISSIMILIA, CONTRARIA, ADJUNCTA, ANTECEDENTIA, CONSEQUENTIA, REPUGNANTIA, CAUSSAE, EFFECTA, & COMPARATA.

D E F I N I T I O.

Eſt: *Oratio, quae quid res ſit, explicat*. Ejus partes ſunt Genus, nimirum quod rei definitae cum aliis commune eſt; & Differentia, quod rei ipſi definitae proprium eſt & peculiare: ut patet in definitione Rhetoricae, quam ſupra attulimus. Ita autem Tullius pro Marcello 8. per definitionem gloriae oſtendit, Caeſari, ſi gloriam conſequi velit, componendam eſſe rempublicam: *Quod ſi*, inquit, *rerum tuarum immortalium*, C. *Caeſar*, *hic exitus futurus fuit*, *ut*, *devictis adverſariis*, *rempublicam in eo ſtatu relinqueres*, *in quo nunc eſt*; *vide*, *quaeſo*, *ne*

Digitized by Google

ne tua divina virtus admirationis plus ſit habitura , quam gloriae : ſiquidem gloria eſt illuſtris ac pervagata multorum & magnorum vel in ſuos , vel in patriam , vel in omne genus hominum fama meritorum. Haec igitur tibi reliqua pars eſt , hic reſtat actus , in hoc elaborandum eſt , ut rempublicam conſtituas , &c.

Cum vero praeter eſſentiam rei , cauſſae etiam , effecta , aut proprietates ad clariorem illius explanationem enumerantur, ea tum dicitur Deſcriptio; qua fere ſemper utuntur oratores , quorum proprium eſt fuſe & copioſe dicere. Ejuſmodi eſt illa Ciceronis II. de Orat. 9. hiſtoriae deſcriptio, qua dicitur: *Teſtis temporum , lux veritatis, vita memoriae , magiſtra vitae, nuntia vetuſtatis*. Idem pro Mil. 33. ad exaggerandum illorum facinus , qui curiam violare atque incendere auſi fuerant , perilluſtrem ipſius deſcriptionem adhibendo inquit : *Quo quid miſerius , quid acerbius , quid luctuoſius vidimus? Templum ſanctitatis , amplitudinis , mentis , conſilii publici , caput urbis , aram ſociorum , portum omnium gentium , ſedem ab univerſo populo Romano conceſſam uni ordini , inflammari , exſcindi , funeſtari?*

PARTIVM ENVMERATIO

Eſt: *Totius in partes diſtributio*. Ita Tullius IV. Philip. 4. recenſendo partes probat Antonium a nemine conſulem putari : *Negat hoc D. Brutus imperator , conſul deſignatus , natus reipublicae civis : negat Gallia , negat cuncta Italia , negat ſenatus , negatis vos . Quis illum igitur conſulem niſi latrones putant?*

Elegantiſſime autem hic locus pertractatur , cum cuique parti , quod ſuum eſt , tribuitur : ut in Orat. pro Leg. Manil. 11. ubi de virtute Cn. Pompeii agitur: *Teſtis eſt Italia , quam ille ipſe victor L. Sylla hujus virtute & ſubſidio confeſſus eſt liberatam . Teſtis eſt Sicilia , quam multis undique cinctam periculis , non terrore belli , ſed celeritate conſilii explicavit. Teſtis eſt Africa , quae magnis oppreſſa hoſtium copiis , eorum ipſorum ſanguine redundavit. Teſtis eſt Gallia , per quam legionibus noſtris in Hiſpaniam iter Gallorum internecione patefactum eſt . Teſtis eſt Hiſpania , quae ſaepiſſime plurimos hoſtes ab hoc ſuperatos proſtratoſque conſpexit . Teſtis eſt iterum & ſaepius Italia , quae cum ſervili bello tetro periculoſoque premeretur , ab hoc auxilium abſente expetivit : quod bellum expectatione Pompeji attenuatum atque imminutum eſt , adventu ſublatum ac ſepultum. Teſtes vero jam omnes orae , atque omnes exterae gentes ac nationes : denique maria omnia , tum univerſa , tum in ſingulis omnes ſinus atque portus.* No-

NOTATIO

Eſt, cum ex vi nominis argumentum ducitur; quam Graeci ἐτυμολογίαν appellant. Hac ratione non eſſe dicendos Conſules Piſonem & Gabinium contendit Cic. pro Sext. 7. quod patriae non conſulerent, ſed vexarent potius, affligerentque: *Quid dicam conſules? hoccine ut ego appellem nomine everſores hujus imperii? proditores veſtrae dignitatis? hoſtes bonorum omnium? qui ad delendum ſenatum, affligendum equeſtrem ordinem, exſtinguenda omnia jura atque inſtituta majorum, ſe illis faſcibus, ceteriſque inſignibus ſummi honoris atque imperii ornatos eſſe arbitrantur?* Et pro Roſc. Amer. 43. cum de ſocietate in Roſcii facultates a Chryſogono per injuriam inita diſſerere vellet, ad vim nominis alludens inquit; *Venio nunc ad illud nomen aureum Chryſogoni, ſub quo nomine tota ſocietas ſtatuitur.*

CONJVGATA

Dicuntur ea, quae orta ab uno vocabulo variae commutantur, ut a *pio*, *pie*, & *pietas* deſcendunt. Ex hoc loco ſic ducit argumentum Cic. II. de Orat. 40. *ſi pietati ſumma tribuenda eſt laus, debetis moveri, cum Q. Metellum tam pie lugere videatis.* Et pro Marcel. 4. *Ipſam victoriam viciſſe videris, cum ea, quae illa erat adepta, victis remiſiſti. Nam cum ipſius victoriae conditione jure omnes victi occidiſſemus, clementiae tuae judicio conſervati ſumus. Jure igitur unus invictus es, a quo etiam ipſius victoriae conditio viſque devicta eſt.*

GENVS

Eſt, ſub quo plures partes, quae vocantur *ſpecies*, & a Cicerone *formae*, comprehenduntur. Ita *Virtus* Genus eſt, quae *Juſtitiam*, *Prudentiam*, *Fortitudinem*, *Temperantiam* complectitur. Ducimus autem a genere ad partes argumentum, cum quaecumque de genere dicta ſunt, eadem deinde partibus accommodamus. Si quis igitur de virtutis excellentia haec cum Cicerone pro Sext. 28. praedicaret, eam ſcilicet eſſe, *quae in tempeſtate ſaeva quieta eſt, & lucet in tenebris, & pulſa loco manet tamen, atque haeret in patria, ſplendetque per ſe ſemper, neque alienis unquam ſordibus obſoleſcit*; recte utique haec ipſa cum eodem Tullio tribueret gravitati, animi magnitudini, ceteriſque virtutibus, quae ibidem de M. Catone efferuntur.

Uſur-

Uſurpatur praecipue hic locus, cum orator a propriis perſonarum, locorum, ac temporum adjunctis avocat controverſiam, & ad univerſi vim generis explicandam traducit. Hoc ſane pacto Cic. pro Arch. ad extollendam ejus doctrinam plurimis laudibus humanitatis ſtudia proſequitur: & pro Marcel. multa in genere de clementia praedicat, ut laudet Caeſarem ob reſtitutum Marcellum.

Formae

Sunt, in quas Genus ſine ullius praeteritione dividitur. Inde vero petitur argumentum, cum quae Formis conveniunt, de Genere enuntiantur. Itaque doctrinae e. g. utilitatem facile foret demonſtrare e fructibus, qui e ſingulis ſcientiis percipiuntur. Ita Cic. pro Quint. 19. ex variis, quas declarat, defenſionis partibus ſive formis probat Quintium a ſuo procuratore defenſum omnino fuiſſe.

Similia

Dicuntur ea, quae licet diſparia, conferri tamen inter ſe in aliquo poſſunt. Hinc autem ſic ducit argumentum Cic. II. de Orat. 40. *Si ferae partus ſuos diligunt, qua nos in liberos noſtros indulgentia eſſe debemus?* Et II. Tuſcul. 5. ad demonſtrandum philoſophicae diſciplinae utilitatem, hoc utitur ſimili: *Ut ager, quamvis fertilis, ſine cultura fructuoſus eſſe non poteſt, ſic ſine doctrina animus. Ita eſt utraque res ſine altera debilis. Cultura autem animi philoſophia eſt: haec extrahit vitia radicitus, & praeparat animos ad ſatus accipiendos; eaque mandat his, &, ut ita dicam, ſerit, quae adulta fructus uberrimos ferant.* Neque vero minus inſignium ſimilitudinum quadam veluti congerie Scythicae gentis legati apud Q. Curtium VII. 21. Alexandrum a bello ſuis terris inferendo deterrere conantur: *Quid? tu ignoras, arbores magnas diu creſcere, una hora exſtirpari? . . . Leo quoque aliquando minimarum avium pabulum fit; & ferrum rubigo conſumit. Nihil tam firmum eſt, cui periculum non ſit, etiam ab invalido.*

Illud tamen in hoc genere ſervandum monet Quintil. VIII. 3. ut, quod ſimilitudinis gratia aſſumitur, neque obſcurum ſit, neque ignotum, ſed clarius eo, quod illuſtrat.

Diſſimilia

Vocantur ea, quae cum ſimilitudinem in nullo habeant, hoc

hoc tamen ipſo argumenta ſuppeditant. A diſſimili eſt illud Ciceronis II. de Orat. 40. *Si barbarorum eſt in diem vivere, noſtra conſilia ſempiternum tempus ſpectare debent.* Inde etiam ſuum illud hauſit Horat. IV. Od. 6.

Damna tamen celeres reparant caeleſtia lunae:
Nos ubi decidimus,
Quo pius Aeneas, quo Tullus dives, & Ancus:
Pulvis, & umbra ſumus.

C O N T R A R I A

Sunt, quae de eodem ſimul vere affirmari non poſſunt: eaque quadruplicis generis, (1) Adverſa, (2) Privantia, (3) Relata, (4) Contradicentia.

1. Adverſa dicuntur, quae licet ad unum idemque ſpectent genus, inter ſe tamen immane quantum diſcrepant; ut Sapientia & Stultitia, Virtus & Vitium, quae ſub eodem genere habitus animi continentur. Cic. in Topic. 11. *Si ſtultitiam*, inquit, *fugimus, ſapientiam ſequamur, & bonitatem, ſi malitiam.*

2. Privantia ſunt ea, quorum unum eſt quid θετικὸν (*poſitivum*), alterum ejuſdem abſentia & privatio; ut Vita & Mors, Lux & Tenebrae, Viſus & Caecitas. Hinc idem pro Mil. 29. ut oſtendat Clodii mortem non eſſe vindicandam: *Ejus igitur*, inquit, *mortis ſedetis ultores, cujus vitam ſi putetis per vos reſtitui poſſe, nolitis: & de ejus nece lata quaeſtio eſt, qui ſi eadem lege reviviſcere poſſet, lata lex numquam eſſet.*

3. Relata, quae ſeſe invicem reſpiciunt; ut Pater & Filius, Dominus & Servus, Dux & Miles. Itaque ſcite admodum Hor. I. Epiſt. 10. ad avertendam pecuniae cupiditatem hanc init viam:

Sic qui pauperiem veritus, potiore metallis
Libertate caret, Dominum vehet improbus, atque
Serviet aeternum, quia parvo neſciet uti.
\- - - - - - - - - - - - - - - - - - -
\- - - - - - - - - - - - - - - - - - -
Imperat, aut ſervit collecta pecunia cuique,
Tortum digna ſequi potius, quam ducere funem.

4. Contradicentia denique ſunt, quae ſibi maxime omnium adverſantur, cum alterum affirmet, alterum neget. Locum autem habere ſolent praecipue in occupationibus; ut Orat. pro Arch. 4. *At domicilium Romae non habuit: is, qui tot annis ante civitatem datam, ſedem omnium rerum ac fortunarum ſuarum Romae collocavit. At non eſt profeſſus. Imo vero iis ta-*

bulis profeſſus, quae ſolae ex illa profeſſione collegioque praetorum obtinent publicarum tabularum auctoritatem.

ADJUNCTA

Sunt, quae vel perſonis, vel rebus accidentia conſiderantur.

1. In perſonis conſiderari poſſunt Nomen, Patria, Parentes, Sexus, Aetas, Probitas, Doctrina, Dignitas, Fortunarum copia, atque alia id genus. Quae omnia, atque his oppoſita, uberrimam laudandi, aut vituperandi ſegetem ſuppeditabunt; ut propterea fuſius in genere demonſtrativo tractanda ex hoc loco rejiciamus.

2. Rebus vero accidunt Locus, Tempus, Cauſſa, Modus, Inſtrumenta: e quibus primo quidem facti, vel infecti duci ſolet conjectura: Ita Cic. pro Quint. 25. a temporis brevitate probat, Naevium, non ante obtenta a praetore facultate, miſiſſe qui e Gallicano fundo Quintium dejicerent: ſecus enim dicendum foret, biduo, vel ad ſummum triduo DCC. millia paſſuum ſuos nuntios decurriſſe; quod plane incredibile.

Haec ipſa porro rerum adjuncta ad facinus vel augendum, vel minuendum ſummo ſunt uſui. Hinc idem V. Philip. 7. ſic a loci religione factum Antonii exaggerat: *Illud vero teterrimum non modo auditu, ſed etiam aſpectu, in cella Concordiae collocari armatos, latrones, ſicarios, de templo carcerem fieri; opertis valvis Concordiae, cum inter ſubſellia ſenatus verſarentur latrones, Patres Conſcriptos ſententias dicere.* Verum de his prolixius, cum de genere judiciali agetur.

Univerſa autem ſive perſonarum, ſive rerum adjuncta notiſſimo hoc verſiculo continentur:

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

ANTECEDENTIA

Vocantur ea, unde neceſſe ſit aliquid conſequi, ut in aridam materiam conjecto igne, vel vento in mare irruente, illic incendium, heic fluctus excitentur oportet. Id autem antecedentium genus maxime eſt philoſophorum proprium: oratores enim iis etiam contenti ſunt, e quibus ſi non neceſſaria, at probabili ratione res proficiſcitur. Ita Tullius Clodii odium in Milonem, conſilia, colloquia, minas, iter pridie ſuſceptum expendit, quo Miloni a Clodio paratas probet inſidias.

CON-

CONSEQUENTIA

Sunt, quae alicunde aut neceſſario, aut quavis alia ratione enaſcuntur. Sic Annibal apud Liv. XXI. 43. ex iis, quae victoriam forent conſecutura, milites ſuos accendit ad pugnam: *Si Siciliam tantum*, inquit, *ac Sardiniam parentibus noſtris ereptas, noſtra virtute recuparaturi eſſemus, ſatis tamen ampla pretia eſſent. Quidquid Romani tot triumphis partum congeſtumque poſſident, id omne noſtrum cum ipſis dominis futurum eſt. In hanc tam opimam mercedem, agite, cum diis bene juvantibus arma capite.* Quo quidem argumenti genere nihil frequentius eſt in concionibus ducum ad milites inflammandos.

REPUGNANTIA

Ea ſunt, quae non e regione quidem, ut Contraria, ſibi oppoſita, at aliquo tamen pacto diſcrepantia nequeunt cohaerere; cujuſmodi ſunt Amare & Laedere, Odiſſe & Laudare. Hac ſane ratione utitur Cicero pro Mil. 25. ut planum faciat, nihil de Pompeji vita nefarie Milonem nec cogitare, nec aliquando molitum eſſe, quippe qui eum maxima ſemper proſecutus ſit benevolentia, nec ullum unquam periculum, aut laborem pro ipſius dignitate, & gloria refugerit.

CAUSSAE

Univerſim ſunt, unde aliquid proficiſcitur. In quatuor autem genera diſtributae, prima eſt Efficiens, altera Finalis, tertia Materialis, quarta Formalis.

1. Efficiens cauſſa eſt, quae aliquid efficit, ſive producit. Cum autem ex praeſtantia hujus cauſſæ, effecti excellentia exſiſtat, vel contra; pronum hinc erit, leges, urbes, & quodlibet humani ingenii artiſque opus ab eorum auctoribus plus minuſve commendare; rurſus vero quidquid a diſciplina morum alienum eſt, vituperatione proſequi, quippe quod ex uno vitiorum fonte derivetur.

2. Finalis cauſſa eſt, propter quam aliquid fit; ut aliena ſalus, cujus gratia ſuſcipitur labor. Haec autem cauſſa, in qua praecipue factorum honeſtas, aut turpitudo continetur, ſaepe expendenda erit oratori. Nec raro ex eadem argui poterit, a quonam factum ſit, quod quaeritur; ſi ſcilicet in ejuſmodi inquiſitione ob oculos habeatur Caſſianum illud, *Cui bono fuerit:* ut Tullius pro Mil. ex eo iterum oſtendit inſidiarum

Miloni fuiſſe Clodium, quod magnas utilitates ex illius interitu expectaret.

5. Cauſſa materialis eſt materia ipſa, ex qua res conflatur.

4. Formalis vero, quae ſpeciem formamque rei tribuit.

Ex utraque autem hac cauſſa, aut ex alterutra, quodlibet artis opus commendari ſolet, vel contra. Quare Cic. IV Verr. 28. cum de candelabro, quod Antiochus rex Syriae Jovi donum attulerat, verba faceret, ad ejus præſtantiam extollendam inquit: *Iſte* (Verres) *clamare coepit, dignam rem eſſe regno Syriae, dignam regio munere, dignam Capitolio. Etenim erat eo ſplendore, qui ex clariſſimis & pulcherrimis gemmis eſſe debebat: ea varietate operum, ut ars videretur certare cum copia: ea magnitudine, ut intelligi poſſet, non ad hominum apparatum, ſed ad ampliſſimi templi ornamentum eſſe factum.*

EFFECTA

Ad totidem genera revocantur, quot ſunt cauſſæ. Valent vero plurimum ad amplificationem, & deſcriptiones; ut videre licet in hac Virgiliana III. Æn. 194.

Tum mihi caeruleus ſupra caput adſtitit imber,
Noctem hiememque ferens, & inhorruit unda tenebris.
Continuo venti volvunt mare, magnaque ſurgunt
Aequora: diſperſi jactamur gurgite vaſto.
Involvere diem nimbi, & nox humida caelum
Abſtulit: ingeminant abruptis nubibus ignes.
Excutimur curſu, & mediis erramus in undis.

COMPARATA

Ita inſtituuntur, ut vel a majoribus, vel a paribus, vel a minoribus ducantur. A majori eſt comparatio illa I. in Catil. 12. *Etenim ſi ſummi & clariſſimi viri cives, Saturnini, & Gracchorum, & Flacci, & ſuperiorum complurium ſanguine non modo ſe non contaminarunt, ſed etiam honeſtarunt: certe mihi verendum non erat, ne quid hoc parricida civium interfecto invidiae mihi in poſteritatem redundaret.*

A pari vero illa pro P. Sulla 2. *Quare iſta conjuratio, ſi patefacta per me eſt, tam patet Hortenſio, quam mihi. Quem cum videas hoc honore, auctoritate, virtute, conſilio praeditum non dubitaſſe, quin innocentem P. Sullam defenderet, quaero, cur qui aditus ad cauſſam Hortenſio patuerit, mihi intercluſus eſſe debuerit.*

A minori denique illa pro Leg. Manil. 5. *Majores veſtri ſae-*

ſaepe, mercatoribus ac naviculatoribus injurioſius tractatis, bella geſſerunt: vos, tot civium Rom. millibus uno nuntio atque uno tempore necatis, quo tandem animo eſſe debetis?

Atque hae quidem ſedes ſunt & domicilia argumentorum, quae cuilibet cauſſae accomodari queant. Ceterum etſi aliquid commodi e modico ejuſmodi Locorum uſu percipi poſſit, praeſertim ut inde aliquanto illuſtrior atque uberior exſiſtat oratio; ſi quis tamen largius iis utatur, procul dubio in inanem quamdam incidet garrulitatem, qua nihil eſt ineptius, magiſque fugiendum. Cum itaque multo malle debeamus cum Tullio III. de Orat. 35. *indiſertam prudentiam, quam ſtultitiam loquacem*, cumque validum illud argumentorum robur, quod totam eloquentiae vim continet, potius ex ipſa re, quam e Topices penu quaerendum ſit: reſtat, ut haec non niſi parce admodum adhibeatur.

C A P U T III.

De generibus cauſſarum, & primum de genere Demonſtrativo.

POſtquam argumentorum Locos univerſis cauſſis communes excuſſimus, jam qui ſingulis cauſſarum generibus peculiares ſunt, pertractandi ſeſe offerunt. Quod ut recte & ordine praeſtemus, de ipſis cauſſarum generibus heic nobis ſermo erit: quae prope univerſi tria conſtituerunt, Deliberativum, Demonſtrativum, & Judiciale. Deliberativum autem genus eſt, quo ſuademus, vel diſſuademus: Demonſtrativum, quo laudamus, vel vituperamus: Judiciale, quo accuſamus, vel defendimus. Quamquam vero Ariſtoteli dignius habetur deliberativum genus, nos tamen a Demonſtrativo, utpote tironum captui magis accommodato, auſpicabimur.

Hoc genus a Graecis dictum eſt ἀποδεικτικὸν, non tam, ut nonnullis placuit, quod interdum ad *oſtentationem* ejuſmodi rationes haberentur, quam quod per illud virtutes, vel vitia hominum *palam fierent*: a praeſtantiori autem parte ἐγκωμιαστικὸν, ut Latinis *laudativum*, appellatur. Ejus porro partes ſunt Laus, qua dignitatem; & Vituperatio, qua indignitatem rei proſequimur. Materia vero Perſonae, Res, & Facta. Perſonae ſunt Deus, Angeli, Homines; at quaſi perſonae, Animalia bruta. Res autem Loca, Tempora, Arbores, Lapides, &c. Facta denique Bella, Victoriae, &c.

 Con-

Cunctarum rerum laus ab uno Honeſtatis fonte petenda eſt. Sed quoniam etiam res inanimes laudantur, in quas cadere non poteſt honeſtas; idcirco animadvertendum, dici aliquid honeſtum, vel quia virtus eſt, vel quia virtutem gignit, vel quia effectum virtutis eſt. Id quod virtus eſt, procul dubio honeſtum & laudabile eſt. Quod autem virtutem gignit, aut externum eſt, aut internum : externum poſt Deum ſunt exempla ſive majorum, ſive exterorum, bona educatio, & inſtitutio, necnon divitiae, quae virtutis inſtrumenta eſſe poſſunt: internum vero vel animi eſt, ut ingenium, judicium, memoria, morum facilitas, &c. vel corporis, ut ſanitas, robur, agilitas, &c. Effecta demum virtutis ſunt res praeclare geſtae, monumenta, tropaea, cicatrices, &c.

Jam unde potiſſimum ducenda ſit laus ad perſonas, res factaque exornanda, videamus.

I. Sub genere perſonarum primus eſt Deus O. M. cujus ſi laus inſtituatur, immenſam ſane commendationis ſegetem ſacrae litterae ſuppeditabunt. His itaque ducibus extollemus ejus majeſtatem, aeternitatem, immenſitatem, potentiam, ſapientiam, providentiam, in primiſque innumera in genus humanum collata beneficia percenſebimus.

II. Poſt Dei laudem ſequitur laus Angelorum; quos celebrare poſſumus a praeſtantia naturae; ab eximia intelligendi facultate; a voluntate nullis affectuum fluctibus agitata; a ſummis viribus & poteſtate; ab officio tum erga Deum, cui aſſidue adſunt venerabundi, tum erga homines, quibus mirandum in modum opitulantur, a caeleſti denique felicitate, qua perfruuntur.

III. Succedit laus hominum, qui ſi quidem communi humanae naturae nomine commendentur, facile erit & ab excellentia animae, & a corpore tam affabre conſtructo laudationis argumenta deſumere.

Si vero quiſpiam privato nomine ſit extollendus; tum vel artificialem, vel naturalem ordinem licebit ſequi: nimirum vel ad certa capita revocando quidquid celebrandum occurrat, quo pacto Cic. pro Leg. Manil. 10. laudes Pompeji ad ſcientiam rei militaris, virtutem, auctoritatem, & felicitatem refert; vel hiſtoriae veſtigiis inſiſtendo. Quo in ordine tria tempora animadvertenda ſunt, (1) idſcilicet quod diem natalem anteceſſit, (2) tempus vitae, & (3) id quod obitum mortem conſecutum eſt: e quibus tamen quaecumque commendabilia colligentur, artificiali etiam ordini, prout ſeſe res dabit, poterunt inſervire.

(1) In laudem profecto temporis nativitatem praecedentis recen-

recenſenda breviter ſunt auguria, ſive oracula; ſi qua magnum aliquid de naſcituro puero portendentia exſtiterint.

Patriam praeterea meminiſſe non abs re erit, e cujus nobilitate nonnihil ſplendoris poterit comparari: quae ſi tamen obſcura fuerit, per illum tandem illuſtrata dicetur: at ſi infamis, reticebitur; vel etiam negabitur, id illi quidquam obſtitiſſe, cum nihil referat ubi quis natus ſit, modo virtute praecellat.

Conſiderandum quoque genus eſt; quandoquidem gloria & dignitas majorum in laudem cedit, ex jam trito illo Venuſini poetae IV. Od. 4.

Fortes creantur fortibus & bonis.

Si cui vero humile genus obtigerit, eo maxime laudari poterit, quod familiam abjectam & obſcuram, ut ait Cic. pro Dejot. 12. e tenebris in lucem vocaverit; cum veriſſimum ſit effatum Velleji Lib. II. *Optimus quiſque nobiliſſimus*. Quod ſi genus infame fuerit, praetermittetur; vel ex hoc ipſo arceſſentur laudes, quod patrum ille indignitatem emendarit, neque improbo ſuorum exemplo fuerit labefactatus.

2. Sequuntur laudes ad vitae tempus pertinentes, quae diverſis fontibus derivantur. Nam poſt ipſum ortum poteſt quis commendari tum a nominis, ſi fuerit illud divinitus conſecutus; tum ab ominibus, ſi qua in infantia contigerint.

Inde pueritia ſpectanda erit, ſi quid forte memorabile in ea ſe prodat: in primiſque educatio, atque inſtitutio expendenda.

Tum reliquas aetates neceſſe eſt pervadere, & quae ubique ſunt praeconio digna, illuſtrare. Inter haec autem recenſentur corporis vires bonaque habitudo, oris gravitas, divitiae, munera, honores, praecipue vero litterarum ornamenta: quae pro ſua quaeque dignitate, & prout feret oratoris prudentia, extollentur. At quoniam ceteris omnibus longo intervallo praeeunt virtutes, his quidem maxima omnium debebitur commendatio; quae quam late pateat, mox clarius indicabitur.

3. A tempore vero mortem conſecuto laudem praebent ea, quae virtutis effecta cenſentur. In Laudem igitur Conditorum cedunt urbes, & leges; in laudem Parentum, bene morati liberi: in laudem Scriptorum, opera poſteritati utilia; in laudem quorumvis illuſtrium virorum, monumenta ipſorum nomini dedicata. Nec porro in his poſtremum obtinet locum communis ſive bonorum, ſive totius civitatis ob illius jacturam, quo de agitur, comploratio.

In Sanctorum autem laudibus praecipua eſt felicitas,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

quam morte obita conſecuti ſunt: itemque edita per eos miracula, & collata in homines beneficia honorifice ſunt commemoranda.

IV. Ex his, quae de perſonis dicta ſunt, facile erit colligere, quae de quaſi perſonis poſsint efferri. Nam ſi quodpiam brutorum genus laudandum ſit, id ſane ab univerſis illis dotibus, ob quas maxime conſpicuum eſt, commendabitur; ut equus e. g. a genere, agilitate, robore, & colore. At ſi de ſingulari aliquo animali, de celebri e. g. Alexandri bucephalo, ſermo ſit, tum quaecumque de eo ſive hiſtoriis, ſive fama praedicantur, commendationis argumentum praebere poterunt.

V. Jam rerum laudes, pro earum diverſitate, multiplici ratione perſequi opus eſt. Aliae enim caeleſtes res ſunt, ſcilicet Sol, Luna, Stellae; haeque laudari poſſunt a nobilitate ſubſtantiae, ab utilitate, ab elegantia.

Aliae vero terreſtres, quae in tres ordines diſpeſcuntur. Nam (1) quaedam opera ſunt naturae, ut Flumina, Montes; (2) quaedam artis, ut Domus, Academia; (3) quaedam artis ſimul & naturae, ut Regio, Horti.

1. Primi generis laudes inde fere deſumuntur, unde caeleſtia diximus celebranda. Quare Flumina ab aquarum vi & ſalubritate, a piſcium copia & praeſtantia, a navium ultro citroque commeantium frequentia, atque id genus aliis commendantur. Montes a loci natura, ab altitudine, a fodinis, a plantis, a ſcatebris, &c.

Quod ad alterum genus ſpectat, laudatur e. g. Domus ab auctore, ſtructura, ſitu, proſpectu, hortis, ceteriſque ornamentis. Academia a conditore, amplitudine, antiquitate regimine, diſciplinis, celebritate, &c.

3. Tertii generis laudes nullo negotio e dictis deducentur. Regio igitur extolletur ab urbium multitudine & ſplendore, a viarum pontiumque opportunitate & magnificentia, ab agrorum ubertate, a collium amoenitate, ab aeris clementia, &c. Horti ab herbarum, florum, arborum varietate, a fructuum ſuavitate, ab operibus topiariis, ab ambulationibus, a fontibus, &c.

VI. Reliquum eſt, ut factorum laudes percurramus: quae quidem petuntur maxime ab Honeſto, Utili, Glorioſo, & Jucundo: e quibus ipſis tum ſcentiarum, tum virtutum commendatio deſumitur; ut videre licet apud Tullium pro Arch. 6. & 7. & pro Leg. Manil. 13. & 14.

Creſcunt vero illæ potiſſimum ex his: 1° ſi quis aliquod facinus prior omnium perpetrarit, ut S. Stephanus, qui in Ca-

Catholica Fide ſanguine conſignanda univerſis Chriſti Athletis anteivit.

2.° Si ſolus, ut S. Athanaſius, cujus adverſus innumeras Arianorum copias invicta virtus emicuit.

3.° Si cum paucis, ut Gedeon, qui cum trecentis ingentem Madianitarum exercitum profligavit.

4.° Si difficillimo tempore opem tulerit, ut afflictis Eccleſiae rebus Conſtantinus M.

5.° Si pro aliena ſalute adire pericula non dubitarit, ut qui Chriſtianam religionem barbaris terris invexerunt.

6.° Denique ſi celeriter ac feliciter res geſſerit: quem locum egregie tractat Cic. pro Leg. Manil. 13. & pro Marcel. 2.

Atque hi quidem univerſi ſunt pro perſonis, rebus, factiſque laudationum Loci: quibus oppoſiti vituperationi inſervient. Heic autem nihil immoramur, cum qui laudandi rationem calluerit, facile quoque vituperandi modum noverit. Id tamen unum monitum volumus, vituperationem non niſi in vitia, totius turpitudinis originem, intendi oportere.

CAPUT VI.

De genere Deliberativo.

DELIBERATIVUM genus Graecis *συμβουλευτικόν* (*ſuaſorium*) dictum fuit; necnon *ἐκκλησιαστικόν* (*concionale*); propterea quod *ἐν ταῖς ἐκκλησίαις* (*in concionibus*) orationes hujus generis inſtituerentur. Continet autem Deliberatio tum Suaſionem, qua ad aliquid faciendum impellimus; tum Diſſuaſionem, qua a faciendo revocamus. Neque vero heic *ſuadere* eſt probare & fidem facere, quod omnibus cauſſarum generibus commune eſt; ſed proprie & preſſius ſignificat conſilium dare, ut agendum quidpiam ſuſcipiatur; ut *virtutes* e. g. *colantur*, ut *ſcientiis opera adhibeatur*, &c. Nec ſolae tamen Paraeneticae orationes, ſed Petitoriae etiam, Conſolatoriae, atque ejuſmodi aliae ſub hoc genere comprehenduntur.

Materia porro Deliberativi generis neque res ſunt neceſſariae, quae ſcilicet vitari nullo modo poſſunt, neque impoſſibiles: *inciditur enim*, ut ait Cic. II. de Orat. 82. *omnis jam deliberatio, ſi intelligitur non poſſe fieri, aut ſi neceſſitas affertur*. Itaque verſatur id quidem genus tantummodo circa res contingentes: nec tamen omnes, ſed eas ſolum, quae noſtram poteſtatem non effugiunt, ut, *an gerendum ſit bellum: an vecti-*

vultum ipſius Annibalis, quem armati exercitus tremunt, quem horret populus Romanus, tu ſuſtinebis? & ſi alia auxilia deſint, me ipſum ferire, corpus meum opponentem pro corpore Annibalis, ſuſtinebis? atqui per meum pectus petendus ille tibi, transfigenduſque eſt. deterreri heic ſine te potius, quam illic vinci. valeant preces apud te meae, ſicut pro te hodie valuerunt.

Ut autem hos ſive ſuaſionis, ſive diſſuaſionis Locos utiliter adhibeamus, duo hominum genera, quod monet Tullius in Partit. Orat. 25. diſtinguenda nobis erunt; alterum indoctum & agreſte, quod anteferat ſemper utilitatem honeſtati; alterum expolitum, quod rebus omnibus dignitatem praeponat. Itaque ſi apud primos habeatur oratio, quippe cum hi emolumentis maxime & jucunditatibus, aut detrimentis & doloribus permoveantur, ex his ipſis locis commodius argumenta deſumentur: illiſque, cum ſuademus, fructus, voluptates, vitationeſque dolorum; cum vero diſſuademus, damna, jacturas, corporis animique moleſtias proponere e re magis erit. Quod ſi apud alteros agatur, quibus nimirum longe potior eſt honeſtas, multo tunc majus ſuaſionis momentum habebit dignitas, juſtitia, fides, & quaevis alia virtus; diſſuaſionis vero, contumelia ac dedecus. Quare tamen poſtrema ad imperitos quoque proderit adhibere, cum nemo ſit tam hebeti animo, qui non his magnopere concitetur.

Illud poſtremo monendum ſupereſt, ubi adverſae inter ſe cauſſae confligant, non ſatis eſſe oſtendere eorum, quae ſuademus, honeſtatem, atque utilitatem; niſi praeterea conſtet utiliora haec eſſe, atque honeſtiora iis, quae ex altera parte, honeſta quoque & utilia cenſentur.

C A P U T V.

De genere Judiciali.

JUDICIALIS generis, quod Graecis appellatum eſt δικανικὸν, partes ſunt Accuſatio, & Defenſio: Materia vero quidquid in judicium vocari poteſt: Loci denique diverſi pro ſtatuum diverſitate

Status autem, appellatione a certamine gladiatorio deſumta, eſt: *Prima conflictio cauſſarum ex depulſione intentionis profecta*, prout definivit Cic. I. de Invent. 8.; vel, uti placet Fabio III. 6. *Quod ex prima conflictione naſcitur.* Cum igitur Labienus tribunus plebis in Rabirium (cujus cauſſam agit Tullius) crimen intendit: *Occidiſti Saturninum*; is autem

tem depellit hoc pacto: *Non occidi* ; quae inde oritur quaeſtio, ſcilicet *An occiderit*, Status vocatur.

Jam ex triplici depulſionis ratione , qua uti ſolet reus, tres Status exſiſtunt ; quod & docuit Cic, in Topic. 21. & in Partit. 9. licet eos alii in plures diſtribuerint ; quod quidem neceſſe non fuit. Cum igitur quod ab accuſatore objicitur, factum reus inficiatur, dicitur Conjectura. Cum vero factum fatetur, negat autem id eſſe , eoque nomine appellandum, quod adverſarius criminatur , Finis ſeu Definitio eſt . Cum denique neque de facto, neque de nomine pugnat , at rectum tamen eſſe defendit, Qualitas nuncupatur.

I. Primus ſtatus dicitur Conjecturalis ; quia conjectando quaeri neceſſe eſt, num factum ſit, quod accuſator arguit; *a conjectu*, inquit Quintil. III. 6. *ideſt directione quadam rationis ad veritatem*; *unde etiam ſomniorum, atque ominum interpretes, Conjectores vocantur* . Ex eo autem, quod ibi non alia ratione reus, quam crimen inficiando, ſeſe tuetur, appellatus ille etiam eſt Inficialis.

In hoc porro ſtatu conſiderandae ſunt ex Ariſtotelis doctrina, tum cauſſae, quae ad injuriam faciendam ſolent impellere, nimirum Fortuna, Vis, Natura, Conſuetudo, Ratio, Iracundia, Cupiditas; tum Is, qui injuriam infert; tum Is, cui infertur ; tum denique ipſius Injuriae ratio. Tres autem omnino conjecturales Loci recenſenter a Fabio VII. 2. qui ferme eodem recidunt, ſcilicet An voluerit, An potuerit, An fecerit.

Ex his certe omnibus plurima & ad probandum , & ad refellendum ſuppetent argumenta. Ita Cicero pluribus oſtendit, nequaquam Sex. Roſcium paternae caedis auctorem fuiſſe, 1° quod nullae in eo tanti patrandi criminis fuiſſent cauſſae, non mores corrupti, non aeris alieni magnitudo, non indomitae animi cupiditates, non denique quidquam odii in parentem, a quo in cariſſimi filii loco habebatur. 2° quod nec ipſe per ſe occidiſſet, cum Roma tunc temporis abeſſet; nec per alios, quippe cum & neminem ſicariorum homo ruſticus noſſet, & nemo unus ab adverſariis produceretur, ac ne nominaretur quidem. 3.° quod nunquam tam atrox flagitium, cujus ibi exaggeratur gravitas, in tantae probitatis hominem cadere potuiſſet. Rurſus vero tum a cauſſis , & facultate admittendi facinoris, tum ab iis, quae caedem fuerant conſecuta, probat Orator non alios, quam adverſarios ipſos, occiſores Roſcii fuiſſe.

Plurimi autem ad conjecturam firmandam momenti ſunt ſigna ſive antecedentia, ſive comitantia, ſive conſequentia

tia. Horum ſingula quaeque genera declarat Cic. in Topic. 12. ubi ait: *Ante rem quaeruntur quae talia ſunt, apparatus, colloquia, locus, conſtitutum, convivium. Cum re autem, pedum crepitus, ſtrepitus hominum, corporum umbrae, & ſi quid ejuſmodi. At poſt rem, rubor, pallor, titubatio, & ſi qua alia ſigna conturbationis, & conſcientiae: praeterea reſtinctus ignis, gladius cruentus, ceteraque, quae ſuſpicionem facti poſſunt movere*. Atque a conſequentibus maxime eſt illud argumentationis exemplum apud eumdem II. de Orat. 40. *Si & ferro interfectus ille, & tu inimicus ejus cum gladio cruento comprehenſus es in illo ipſo loco, & nemo praeter te ibi viſus eſt, & cauſſa nemini, & tu ſemper audax; quid eſt, quod de facinore dubitare poſſimus?*

II. In ſtatu Definitivo, in quo nominis controverſia eſt, ad rerum definitiones confugere oportet. Exemplo ſit cauſſa illa, quam ad id ipſum affert Cic. II. de Invent. 17. Ibi pater C. Flaminii majeſtatis arceſſitur, quod filium tribunum plebis, qui legem agrariam per ſeditionem ad populum ferebat, concilium plebis habentem de templo deduxerit. Cum autem reus, majeſtatem a ſe non imminutam contendat, quippe qui poteſtate, quam habebat in filium, uſus fuerit; neceſſe eſt definire, quid ſit *imminuere majeſtatem*.

Quam quidem definitionem ex hominum opinione formatam poſtquam protulerit orator, multiſque rationibus confirmaverit, tum ex ipſa docebit imminutam a reo fuiſſe majeſtatem; eumque locum ita communiet, ut inde facti gravitas dignoſcatur. Idque aget, ſi accuſet: at ſi defendat, definitionis ipſius vi demonſtrabit, plane alienum fuiſſe reum ab eo facinore, quod adverſarius criminatur. Neceſſe etiam nonnunquam erit cum adverſarii definitione ſuam conferre, & hanc honeſtam, utilem, veram, ſecus vero illam, oſtendere.

III. Status porro Qualitatis, in quo ipſius negotii vis, natura, & genus quaeritur, *generalis* propterea Tullio dictus, in duas partes diſtribuitur, Negotialem, & Juridicialem. Prior eſt de re aliqua facienda, quae juris habeat implicitam controverſiam: cujuſmodi eſt apud Tullium pro Arch. *ſitne Archias retinendus in civitate ex lege Plautia Papiria*. Hujuſce ſtatus Loci ſunt Juſtum, Aequum, Utile, Honeſtum, Glorioſum, & Facile: quos plurimos ibidem tractat Orator.

Juridicialis autem conſtitutio, quae circa res actas verſatur, bifariam adhuc diſpeſcitur (ut tradit idem I. de Invent. 11.) in Abſolutam, & Aſſumtivam. Abſoluta dicitur ea, ubi factum per ſe ipſum directe defenditur, quippe quod ſatis firmitatis habeat: eique ſex vulgo attribuuntur Loci,

Jus

Jus naturae, Lex ſcripta, Conſuetudo, Aequum, Judicatum, & Pactum: quorum tractandorum ratio ex Cap. ſeq. non mininum illuſtrabitur. Aſſumtiva vero appellatur, quae cum nihil ex ſe firmi ſuppeditet, aliquod defenſionis argumentum foris aſſumit: ejuſque partes ſunt quatuor, (1) Comparatio, (2) Relatio criminis, (3) Remotio criminis, & (4) Conceſsio.

1. Comparatio eſt, cum factum ex eo defenditur, quod ſi aliter res geſta eſſet, deterius quidpiam obveniſſet: ut ſi quis dux recte ſe arma atque impedimenta hoſtibus permiſiſſe contenderet, ne, quo ea ſervaret, univerſi milites interirent.

(2) Relatio criminis eſt, cum in eum ipſum, cui illatum eſt damnum, culpa confertur: ut in Miloniana Tullius Clodium a Milone occiſum cauſſam ipſius caedis fuiſſe demonſtrat.

(3) Remotio vero criminis vocatur, cum reus crimen a ſe in alium ad cauſſam non pertinentem, aut in rem quampiam, quae in judicium vocari nequeat, removere conatur. Ita apud Ciceronem II. de Invent. 29. legati Rhodii de non obita legatione accuſati objectum crimen in Quaeſtores rejiciunt, qui pecuniam de publico dari ſolitam non dediſſent: & apud Plutarchum in vita Pyrrhi quidam juvenes vini impotentiae tribuunt contumelias, quibus audacter regem oneraverant.

4. Conceſsio denique eſt, cum qui accuſatur, conſulto ſe feciſſe negat; petitque excuſationem ab imprudentia, a caſu, a neceſsitate: ut Cic. pro Ligar. 2. Hujuſmodi autem purgationi ſubjici plerumque ſolet deprecatio: quod ipſum ibidem Romanus orator a cap. 10. ad extremam uſque orationem mirifice exſequitur.

CAPUT VI.

De argumentis remotis.

ARGUMENTA remota vocantur, quae extra rem poſita oratori offeruntur, non ab eo excogitantur: quare & ἄτεχνα (*inartificialia*) ab Ariſtotele dicta fuere, quod ea non pariat ars, cum tamen non ſine ſumma arte tractentur. Eorumdem idem praeceptor quinque Locos agnoſcit, Leges, Teſtimonia, Tabulas, Quaeſtiones, & Jusjurandum: ad quos non incommode poſſunt reduci, qui praeter hos ab aliis traditi fuerunt.

I. Quo ad Leges attinet, ita quidem eae, cum cauſſae fa- vent,

vent, ſunt proponendae, ut tota ipſarum vis ac robur emineat; nihilque iis aequius, nihil ſanctius fieri potuiſſe oſtendatur. Tum non inutile erit ſubjicere, e republica maxime eſſe, judices ab illarum rectitudine nil quidquam abſcedere, ne alioqui fruſtra latae eſſe videantur. Quas rationes non raro adhibet Cic. ut pro A. Caecin. 25. & alibi. Quod ſi tamen illae adverſentur, infirmari debebunt, vel ex earum ambiguitate, vel e contraria conſuetudine, aliarumve legum oppoſitione: ut pro Leg. Manil. 20.

Huc porro revocanda videntur Praejudicia, ſcilicet judicia paribus antea in cauſſis pronuntiata, quae a Fabio V. 1. inter probationes ἀτέχνους adnumerantur. Ea autem, ut Idem docet ibid. 2., vel confirmantur auctoritate eorum, qui pronuntiarunt, & ſimilitudine cauſſarum; vel per earumdem quampiam diſſimilitudinem reſelluntur.

II. Teſtimonia vel antiqua ſunt, ex hiſtoriis petita; vel nova, eorum ſcilicet, qui in judicium vocantur. Atque illis quidem ab auctoritate ſcriptorum fides accedet, vel contra: haec vero firma, vel infirma habebuntur: prout ipſorum auctores ſint vel viri probi, graves, illuſtres, vel leves, ſuſpecti, atque infimae ſortis homines.

Hujus loci eſt etiam Fama ſeu Rumor, nimirum ſermo late diffuſus: quem ſi pro ſe nactus fuerit orator, dicet eum non temere oriri ſolere, atque adeo magnae auctoritatis eſſe, quippe qui conſenſum totius fere habeat civitatis: ſin contra, oſtendet quam multae ſaepe fabulae emittantur, queis nulla omnino ſit cum veritate cognatio.

III. Tabulae ex eo poterunt corroborari, quod privata rum legum obtineant locum; quod publicis legibus innitantur; quod humanae ſocietatis ſint firmamentum: debilitantur vero, ſi vel vi extortae, vel fraude conditae, vel qualibet alia labe depravatae oſtendantur.

IV. Quaeſtiones ſeu Tormenta ubi cauſſæ ſubſidio ſint, uſurpari ad eorum confirmationem poterit illud Tullii in Topic. 20. *Verberibus, tormentis, igne fatigati quae dicunt, ea videtur veritas ipſa dicere.* Ubi autem adverſa habeantur, negabitur quidquam certi colligi ex illis poſſe, quae ſcilicet & gubernat dolor, & cujuſque natura moderatur.

V. Juramentum denique, ob ſibi inſitam ſanctitatem, firmiſſimi teſtimonii loco habeatur neceſſe eſt: at ipſum tamen e perjuriorum frequentia poterit etiam aliquando refelli.

Ca-

CAPUT VII.

De Argumentis ἠθικοῖς

CUM de argumentis ἀποδεικτικοῖς tum inſitis, tum remotis hactenus dictum ſit, rei ratio poſtulat, ut ad ἠθικὰ gradum faciamus. Hæc autem, quae ad conciliandos animos pertinent, ſic nuncupata ſunt ἀπὸ τῶν ἠθῶν (*a moribus*) quibus mira vis ineſt ad fidem, exiſtimationem, & benevolentiam comparandam. Mores porro tum in oratore, tum in auditoribus apte ſervari oportet.

I. In oratoris quidem moribus probitas, benevolentia, ac prudentia elucere maxime debet; quippe quae ejuſmodi ſint, ut ei facile animos concilient. Jam probitas per ſincerum virtutis amorem; benevolentia per voluntatem in auditorum commoda unice intentam; prudentia per quamdam in dicendo modeſtiam nulla audaciae labecula infectam demonſtrabitur. Ita Cic. pro Arch. 1. ſe multi officii hominem, & beneficiorum in primis memorem modeſte patefacit: & IV. in Catil. 1. & 2. ſingularem ſuam in cives caritatem, & quam parato animo eſſet ad quaelibet pro patria ſubeunda pericula memorat.

Verum in hoc toto genere praeſtat audire Fabium, qui IV. 12. *Ne id quidem*, inquit, *praeteribo, quantam afferat fidem expoſitioni narrantis auctoritas: quam mereri debemus ante omnia quidem vita, ſed & ipſo genere orationis, quod quo fuerit gravius, ſanctius, hoc plus habeat neceſſe eſt in affirmando quoque ponderis. Effugienda igitur in hac praecipue parte omnis calliditatis ſuſpicio; neque enim ſe uſquam cuſtodit magis judex: nihil videatur fictum, nihil ſollicitum: omnia potius a cauſſa, quam ab oratore, profecta credantur.*

II. Quod attinet ad auditorum mores, animadvertendum eſt, pro aetatum, fortunarum, ac regionum diverſitate, diverſa ratione eſſe tractandos. Cum enim notiſſimum ſit, alios in aliis vitae vel aetatibus, vel conditionibus eſſe humani animi ſenſus, & variam admodum indolem populorum; hinc opus eſt, ut orator ita dicendi genus diverſis ingeniis hominum accommodet, ut quoſque, qua pronior ſe dabit via, illac facilius pertrahat ad veritatem. Id autem per illud maxime aſſequetur, ſi res ſuadendas ab eo potiſſimum vel honeſtatis, vel utilitatis, vel jucunditatis aſpectu proponat, unde magis illos allici poſſe cognoverit.

Ad

Ad idem non raro multum conferet, eorum ſeu virtutem ſeu nobilitatem, ſeu doctrinam, ſeu laborem atque induſtriam ſine ulla affectatione laudare. Quin imo abs re aliquando non erit, ea ipſa, a quibus eorumdem voluntates avellere curae eſt, ſi qua ex parte commendabilia ſint, modice commendare; ut poſtquam animos hac ratione nobis adjunxerimus, tum demum detegendo quidquid in rebus, quas caras habent, vitioſi ſubſit, & laudabiliora ſubjiciendo a ſua in noſtram ſententiam deducamus.

Neque illud poſtremo negligendum eſt, ut ita orationem noſtram comparemus, itaque, quoad ejus fieri poterit, ad guſtum audientium condiamus, ut vel ipſo dicendi genere eorum nobis benevolentiam conciliemus.

CAPUT VIII.

De argumentis παθητικοῖς

EXCUSSIS jam duobus argumentorum ἐντέχνων (*artificiatium*) generibus, reliquum eſt, ut de παθητικοῖς ſermonem inſtituamus: quae quidem appellationem ſibi deſumſerunt ἀπὸ τῶν πάθων (*ab affectibus*) quippe cum ad animi affectiones permovendas ſint comparata.

Sunt autem affectus: *Animi commotiones ex alicujus boni, vel mali opinione exortae*. E quorum numero, de quo alii alia tradiderunt, nos tantum eos, qui oratori uſui eſſe ſolent, heic perſcrutabimur, ut inde intelligatur, quibus rationibus in auditorum animis a dicente debeant excitari: quod praecipuum eſt ipſius munus, & quo maxime regnum eloquentiae continetur.

DE AMORE.

AB Ariſtotele definitur Amor: *Voluntas, qua alicui bonum cupimus, non noſtri, ſed ipſius gratia, & parati ſumus in eum conferre.*

Amantur vero 1.° illi, a quibus bona recepimus, vel a quibus amamur: necnon qui amicorum noſtrorum amici ſunt; quique vel nos, vel ea, quae ſunt nobis cara, commendant, modo nulla ſuſpicio ſuboriatur. Ita amicitiam init cum Tityro Meliboeus I. Ecl. 47.

Fortunate ſenex, ergo tua rura manebunt:
Et tibi magna ſatis?

2. Vi-

2°. Viri virtute praeſtantes; cum ob ipſam *eos ſaepe*, ut ait Cic. pro Marcel. 3. *quos nunquam vidimus*, *diligamus*. Itaque Alexander M. etiam ignotos homines, quos virtus decoraret, ſummis honoribus & beneficiis cumulare ſatagebat. Strab. Lib. I. ſub finem.

3°. Ii, quibus vel moribus ſimiles, vel ſtudiorum cognatione conjuncti ſumus. De qua re ita Ovid. II. de Ponto 5.

Scilicet ingeniis aliqua eſt concordia junctie,
Et ſervat ſtudii foedera quiſque ſui.
Ruſticus agricolam, *miles fera bella gerentem*,
Rectorem dubiae navita puppis amat.

Cum igitur ea ſit amoris natura, cauſſae, quibus ad hunc affectum ciendum uti poterit orator, ſunt accepta beneficia; ſpectata alieni animi voluntas; juſtitia, prudentia, liberalitas, ceteraeque virtutes; ſtudiorum munerumque communio; morum ſimilitudo; ad ſummam quidquid honeſtum, utile, & jucundum occurrit.

Ex his ſane locis ducit argumenta Cic. in peroratione pro L. Flacco ad judicum benevolentiam reo conciliandam: ubi illius praecipue caritatem in patriam, ſtudiumque in ea tuenda commmendat his verbis: *O nox illa*, *quae pene aeternas huic urbi tenebras attuliſti*, *cum Galli ad bellum*, *Catilina ad urbem*, *conjurati ad ferrum & flammam vocabantur*: *cum ego te*, *Flacce*, *caelum noctemque conteſtans flens flentem obteſtabar*: *cum tuae fidei optima*, *& ſpectatiſſimae ſalutem urbis & civium commendabam*! *Tu tum*, *Flacce*, *praetor communis exitii nuntios cepiſti*: *tu incluſam in litteris reipublicae peſtem deprehendiſti*: *tu periculorum indicia*, *tu ſalutis auxilia ad me & ad ſenatum attuliſti*. *Quae tibi tum gratiae ſunt a me actae*? *quae ab ſenatu*? *quae a bonis omnibus*? *quis tibi*, *quis* C. *Pomtinio*, *fortiſſimo viro*, *quemquam bonum putaret unquam non ſalutem*, *verum honorem ullum denegaturum*? *O nonae illae Decembres*, *quae*, *me conſule*, *fuiſtis*! *quem ego diem vere natalem hujus urbis*, *aut certe ſalutarem appellare poſſum*. *O nox illa*, *quam iſte eſt dies conſecutus*, *fauſta huic urbi*, *miſerum me*, *metuo ne funeſta nobis*! *Qui tum animus* L. *Elacci*? (*nihil dicam enim de me*) *qui amor in patriam*? *quae virtus*? *quae gravitas extitit*? . . . .
. . . . *At* L. *Flaccum quidem*, *judices ſi* (*quod dii immortales omen avertant*) *gravis injuria afflixerit*, *nunquam tamen proſpexiſſe veſtrae ſaluti*, *conſuluiſſe vobis*, *liberis*, *conjugibus*, *fortunis veſtris*, *poenitebit*: *ſemper ita ſentiet*, *talem ſe animum & generis dignitati*, *& pietati ſuae*, *& patriae debuiſſe*: *vos ne poeniteat tali civi non peperciſſe*, *per deos immorta-*

tales, judices, providete.

Jam vero ex his, quæ de amore dicta ſunt, ea colligi debent, quae de odio dici poſſunt; quippe cum hoc ab oppoſitis fontibus derivetur.

De Misericordia.

DEfinitur Miſericordia a Tullio IV. Tuſcul. 8. *Aegritudo ex miſeria alterius injuria laborantis.*

Sunt autem in miſericordiam procliviores, 1.° qui & ipſi mala perpeſſi ſunt: unde eſt illud Didonis I. Aen. 633.

Non ignara mali miſeris ſuccurrere diſco.

2.° Senes miſeras rerum viciſſitudines diuturna experientia edocti.

3.° Debiles, ut feminae, propter propriam animi imbecillitatem.

4.° Viri ſapientes, qui rerum momenta pro merito expendunt, atque aequam alienae calamitatis habent exiſtimationem. Ita apud Virg. III. Aen. 331.

Conſtitit Anchiſa ſatus, & veſtigia preſſit
Multa putans, ſortemque animo miſeratus iniquam.

5.° Qui neceſſitudine conjunctos habent, quibus eadem mala obvenire poſſe arbitrantur, queis alios vident affectos. Quare Aeneas II. 560. inquit:

Obſtupui, ſubiit cari genitoris imago,
Ut regem aequævum crudeli vulnere vidi
Vitam exhalantem: ſubiit deſerta Creuſa,
Et direpta domus, & parvi caſus Juli.

Eorum autem potiſſimum miſeremur, qui injuria patiuntur. Quod propterea ad miſericordiam captandam prae reliquis praetendit fallaciſſimus Sinon ibid. 143.

. . . . *Oro, miſerere laborum*
Tantorum, miſerere animi non digna ferentis.

Praeterea devinctorum nobis ſive ſanguine, ſive ſtudiis, ſive alio quovis vinculo: necnon proborum hominum: eorumque, quorum lacrymas cernimus, & gemitus audimus.

Quae cum ita ſint, miſericordiam facile excitabit orator, 1.° per rei repraeſentationem, ejuſdem indignitatem vivis coloribus expreſſam auditorum oculis ſubjiciendo. Ea profecto uſus eſt Cic. ultima in Verr. 54. cum de ſervili civis Rom. ſupplicio loqueretur: *Sex lictores*, inquit, *eum circumſiſtunt valentiſſimi, & ad pulſandos verberandoſque homines exercitatiſſimi: caedunt acerrime virgis: denique proximus lictor (de quo ſaepe jam dixi) Sextius, converſo bacillo, oculos miſero*

 tun-

tundere vehementiſſime coepit. Itaque ille, cum ſanguis os oculoſque compleſſet, concidit: cum illi nihilo minus jacenti latera tunderentur, ut aliquando ſpondere ſe diceret. Sic ille affectus, illinc tum pro mortuo ſublatus, brevi poſtea eſt mortuus.

2.° Per fortunarum contentionem: cum enim infeliciſſimum genus infortunii ſit, fuiſſe felicem, peculiari quadam ratione erga illos afficimur, qui e ſecundis rebus in adverſas inciderunt. Itaque Cicero in peroratione pro Muren. *Modo*, inquit, *maximo beneficio populi Romani ornatus, fortunatus videbatur, quod primus in familiam veterem, primus in municipium antiquiſſimum conſulatum adtuliſſet: nunc idem ſqualore ſordidus, confectus morbo, lacrymis ac moerore perditus, veſter eſt ſupplex, judices, veſtram fidem obteſtatur, miſericordiam implorat, veſtram poteſtatem ac veſtras opes intuetur.*

3.° Per imaginis repraeſentationem, nimirum vel perſonarum imaginem effingendo, vel quodpiam earum monumentum oſtendendo. Ex horum priori modo aptiſſima ſunt ad ciendam miſericordiam verba Aeneae de Hectore ſibi per ſomnium oblato, quae fortunarum etiam contentionem continent, II. Aen. 274.

Hei mihi! qualis erat! quantum mutatus ab illo
Hectore, qui redit exuvias indutus Achillis,
Vel Danaum Phrygios jaculatus puppibus ignes!
Squalentem barbam, & concretos ſanguine crines,
Vulneraque illa gerens, quae circum plurima muros
Accepit patrios.

Poſteriori vero uſui ſunt complures ad eumdem, quo de agitur, affectum excitandum. Ita M. Antonius, qui poſtea Triumvir, cum C. Caeſaris tunicam pugionibus perforatam, ac ſanguine imbutam oſtendiſſet, Romanam plebem adeo commovit, ut haec repente ad Bruti Caſſiique aedes cum facibus convolarit. Cic. XIX. ad Att. 14. & Plutarch. in Brut.

4.° Ad id ipſum vehementiſſima eſſe ſolet ſermocinatio illius, cui miſeratio conciliari debet: qualis eſt illa Roſcii Amerini, damna a Chryſogono ſibi illata, parataſque inſidias conquerentis apud Cic. Orat. pro eod. 50. *Praedia mea tu poſſides: ego aliena miſericordia vivo: concedo, & quod animus aequus eſt, & quia neceſſe eſt. mea domus tibi patet, mihi clauſa eſt: fero. familia mea maxima uteris, ego ſervum habeo nullum: patior, & ferendum puto. Quid vis amplius? quid inſequeris? quid oppugnas? qua in re tuam voluntatem laedi a me putas? ubi tuis commodis officio? quid tibi obſto? ſi ſpoliorum cauſſa occidere vis hominem, ſpoliaſti. Quid quaeris amplius? Si inimicitiarum: quae ſunt tibi inimicitiae cum eo, cujus ante prae-*

praedia poſſediſti, quam ipſum cognoſti? Sin metuis; ab cone aliquid metuis, quem vides ipſum ab ſeſe tam atrocem injuriam propulſare non poſſe?

Idem poſtremo praeſtant figurae omnes *παθητικαί*, in primiſque Exclamatio, & Ejulatio: qua ratione miſeriam ſuam exaggerans Sinon apud Trojanos II. Aen. 69.

Heu! quae nunc tellus, inquit, quae me aequora poſſunt
Accipere? aut quid jam miſero mihi denique reſtat?

De Metu.

Metus eſt: *Perturbatio ex opinione impendentis mali, quod vel perniciem, vel moleſtiam afferre poſſit.*

Metuere itaque ſolent ii, qui ſe jam jam gravi aliquo damno, aut moleſtia exiſtimant afficiendos. Neque enim timetur malum, niſi impendens credatur; unde eſt, ut qui firma ſunt valetudine, mortem non ſoleant formidare, quia ſibi imminere non arbitrantur.

Non ſolum vero res ipſae, quae ſive exitium, ſive acerbitates allaturae videantur, incutiunt terrorem, ſed etiam earum ſigna, & inſolita quaedam portenta; funeſtique aliorum exitus, unde quid ſimile nobis accidere poſſe meminerimus. Quare Aeneas de Polydori inſortunio certior factus extimuit III. Aen. 47.

Tum vero ancipiti mentem formidine preſſus
Obſtupui, ſteteruntque comae, & vox faucibus haeſit.

Timere praeterea ſolemus eos, quos injuria aliqua affecimus; vel in quorum manibus ſita eſt ſalus noſtra; alioſque, qui quavis ratione detrimentum afferre poſſunt.

Artificium igitur, quod ad metum injiciendum adhibebit orator, erit imminentia mala, praecipue privata, quae magis pungunt, recenſere; eorum gravitatem extollere; & praenuntia ſigna, ſi qua ſint, ob oculos ponere. His locis mirifice uſus eſt Tullius pro Muren. 39. ubi cum de conjuratorum ad evertendam rempublicam conatibus ageret, haec poſtremo ſubjecit: *In diſcrimen extremum venimus: nihil eſt jam unde nos reficiamus, aut ubi lapſi reſiſtamus. non ſolum minuenda non ſunt auxilia, quae habemus; ſed etiam nova, ſi fieri poſſit, comparanda. Hoſtis eſt enim non apud Anienem, quod bello Punico graviſſimum viſum eſt, ſed in urbe, in foro: dii immortales! ſine gemitu hoc dici non poteſt; non nemo etiam in illo ſacrario reipublicae, in ipſa, inquam, curia non nemo hoſtis*

ſtis eſt. Dii faxint, ut meus collega, vir fortiſſimus, hoc Catilinae nefarium latrocinium armatus opprimat: ego togatus, vobis boniſque omnibus adjutoribus, hoc, quod conceptum reſtublica periculum parturit, conſilio diſcutiam & comprimam. Sed quid tandem fiet, ſi haec elapſa de manibus noſtris in eum annum, qui conſequitur, redundarint? Unus erit conſul, & is non in adminiſtrando bello, ſed in ſufficiendo collega occupatus . . . . Illa peſtis immanis, importuna Catilinae prorumpet, qua poterit: & jam populo Romano minatur: in agros ſuburbanos repente advolabit: verſabitur in caſtris furor, in curia timor, in foro conjuratio, in campo exercitus, in agris vaſtitas: omni autem in ſede ac loco ferrum flammamque metuemus.

De Confidentia.

Timori oppoſita eſt Confidentia, quae a Cicerone II. de Invent. 54. definitur: *Per quam magnis & honeſtis in rebus multum ipſe animus in ſe fiduciae certa cum ſpe collocavit.*

Confidunt vero praecipue, qui mala nulla paſſi ſunt; vel qui e multis calamitatibus incolumes evaſerunt. Quare ita ſuos in ſumma rerum inopia excitat Aeneas. I. 202.

O ſocii! neque enim ignari ſumus ante malorum.
O paſſi graviora! dabit Deus his quoque finem.
Vos & Scyllaeam rabiem, penituſque ſonantes
Acceſtis ſcopulos: vos & Cyclopea ſaxa
Experti: revocate animos, moeſtumque timorem
Mittite; forſan & haec olim meminiſſe juvabit.

Ii praeterea fidenti animo ſunt, qui opibus viribuſque pollent, quibus impendenti malo occurrant; omnium vero maxime, qui ſibi divinum auxilium praeſto eſſe arbitrantur. Quamobrem Tolumnius apud Virg. XII. 259. ubi per augurium ſuis divinam opem promitti credidit:

Hoc erat, hoc votis, inquit, quod ſaepe petivi.
Accipio, agnoſcoque Deos, me me duce ferrum
Corripite, o miſeri.

Excitatur itaque confidentia a magnitudine, & praeſtantia auxiliorum; a praeſentia eorumdem; atque a contentione noſtrarum virium cum hoſtilibus, ubi noſtrae ſuperiores videantur. Hinc paſſim ſumunt argumenta duces ad milites inflammandos; uti e reliquis Scipio, qui jam jam copias adverſus Annibalem inſtructurus, concioni a ſe habitae id argumenti attexuit: *Nec nunc illi, quia audent, ſed quia neceſ-*

ſe eſt

ſe eſt, pugnaturi ſunt; niſi creditis, qui exercitu incolumi pugnam detrectavere, eos duabus partibus peditum equitumque in tranſitu Alpium amiſſis, qui plus paene perierint, quam ſuperſint, plus ſpei nactos eſſe. At enim pauci quidem ſunt; ſed vigentes animis corporibuſque, quorum robora ac vires vix ſuſtinere vis ulla poſſit. Effigies, imo umbrae hominum, fame, frigore, illuvie, ſqualore enecti: contuſi ac debilitati inter ſaxa rupeſque: ad haec peruſti artus, nive rigentes nervi, membra torrida gelu, quaſſata confractaque arma, claudi ac debiles equi. cum hoc equite, cum hoc pedite pugnaturi eſtis: reliquias extremas hoſtium, non hoſtes habebitis. Ac nihil magis vereor, quam ne, antequam vos cum hoſte pugnaveritis, Alpes viciſſe Annibalem videantur. Sed ita forſitan decuit, cum foederum ruptore duce ac populo deos ipſos ſine ulla humana ope committere ac profligare bellum; nos autem, qui ſecundam deos violati ſumus, commiſſum ac profligatum conficere. Liv. XXI. 40.

D E I R A.

EX Ariſtotele Ira eſt; *Conjuncta cum dolore cupiditas ſperatae ultionis propter apparentem contemtum, quo quis vel ſe, vel ſuorum quempiam contra quam oportuit, affectum eſſe putat.*

Facilius autem ad iram concitantur, qui morbo, paupertate, aut quavis moleſtia laborant, ut fame, ſiti, aliiſque. Hinc apud Plautum in Amphitr. IV. 3.

> . . . . *Vetu'ſt adagium; Fames, & mora*
> *Bilem in naſum conciunt.*

Similiter ii, qui aliis contemtui eſſe in praeſenti fortuna putant, praeſertim ſi de ſecundis in adverſa lapſi ſunt. Ex quo illud Terentii Adelph. IV. 3.

> *Omnes, quibu' res ſunt minu' ſecundae, magi' ſunt*
> *neſcio quo modo*
> *Suſpicioſi: ad contumeliam omnia accipiunt magis.*

Illis vero potiſſimum iraſci homines ſolent, a quibus ſe deſpicatui haberi exiſtimant: vel qui eorum aut malis gaudent, aut bonis obſiſtunt; vel qui denique ipſorum ruina evecti ſunt.

Cauſſae igitur, quibus uti conſueverunt oratores ad iram accendendam, ſunt contemtus, moleſtia, & quodlibet detrimentum. His quidem apud Lſv. XXI. 44. Annibal ſuorum militum iram inflammat: *Accendit praeterea animos & ſtimulat dolor, injuria, indignitas. Ad ſupplicium depopoſcere me ducem primum, deinde vos omnes, qui Saguntum oppugnaſſetis. dedi-*

tos ultimis cruciatibus affecturi fuere. Crudeliſſima, ac ſuperbiſſima gens, ſua omnia, ſuique arbitrii facit : cum quibus bellum, cum quibus pacem habeamus, ſe modum imponere, aequum cenſet : circumſcribit includitque nos terminis montium, fluminumque, quos ne excedamus; neque eos, quos ſtatuit, terminos obſervat. Ne tranſieris Iberum: ne quid rei tibi ſit cum Saguntinis; ad Iberum eſt Saguntum; nuſquam te veſtigio moveris. Parum eſt, quod veterrimas provincias noſtras Siciliam ac Sardiniam ademit, niſi adimat etiam Hiſpaniam : &, ſi inde ceſſero, in Africam tranſcendet. tranſcendent autem dico? duos conſules hujus anni, unum in Africam, alterum in Hiſpaniam miſere. nihil uſquam nobis relictum eſt, niſi quod armis vindicaverimus.

Ejuſmodi autem accendendae iracundiae rationes, ſi adverſus improbitatem morum adhibeantur, certe quidem tum magnum erit operae pretium, tum vero in primis oratorii officii partes recte ſibi conſtabunt. Neque enim nos decet aliud in irae, aut odii affectibus commovendis propoſitum habere, quam ut enunciatis, quae a vitiis ſceleribuſque damna, ſollicitudines, opprobria enaſcuntur, in eadem illa hominum animos concitemus.

De Lenitate.

Cum Lenitas ſit ipſa irae ſedatio, hinc eſt, ut non niſi hac perfracta in animum inducatur. Id autem fit primo quidem ſupplicibus verbis, & ſubmiſſione ejus, cui iraſcimur; ut videre licet apud Cic. pro Ligar. 10.

Praeterea cum animus illius, in quem excandeſcimus, ab injuria omnino alienus oſtenditur. Hinc idem Tullius pro Marcell. 5. & pro Ligar. 6., ut evincat Pompejanae partis homines non eſſe Caeſaris benignitate indignos, probat eos non aliquo perverſae mentis conſilio adductos, ſed vel humano errore deceptos, vel etiam neceſſitate coactos id ipſum arma ſumſiſſe.

Multum porro ad leniendum animum valebit commendatio probitatis virtutumque hominis, in quem ira concitata fuerat: necnon beneficiorum, quae ab eodem alias impertita ſint, commemoratio.

Maximi etiam momenti erit oſtendere, quanto magnificentius ſit nobiliuſque ad manſuetudinem flecti, quam acceptam injuriam dolere & perſequi ; quandoquidem, ut ſcite Juvenalis Sat. XII.

. . . . *Minuti*

Sem-

*Semper & infirmi eſt animi exiguique voluptas ,
Ultio .*

Cum contra ex Tullio pro Marcel. 3. animum vincere at. que iracundiam cohibere quarumlibet victoriarum amplitudini ſit proponendum . Quo potiſſimum argumenti genere Flavianus Patriarcha Antiochenus Theodoſii Imperatoris iram in ejus urbis populum incenſam mirandum in modum extinxit , Fleuryus Hiſt. Eccl. Lib.XIX. n.5.

Denique, ubi reliqua omnia nil prodeſſe videantur, metus etiam adhiberi poterit ; qui nimirum, cum gravis eſt , iram modicam ſedat, quemadmodum rurſus gravis ira metum expellit.

DE AEMULATIONE.

AEmulatio ex Ariſtotele eſt: *Dolor ex alienis bonis exortus, non quod illa alteri adſint , ſed quod ſibi deſint .* Nihil itaque commune habet cum invidia, quippe cum haec nunquam non turpis in eo tota ſit , ut obliquo oculo aliorum commoda limet: at illa per ſe honeſta ad virtutum imitationem, atque ad laudabilia aggredienda animos excitat.

Ea porro commoventur facilius adoleſcentes, & quicunque nobili quadam animi excelſitate ad praeclara audenda efferuntur; necnon ii, quibus vel domeſtica, vel urbana illuſtrium rerum exempla ob oculos obverſantur.

Excitabitur itaque ab oratore aemulatio , ſi bona in aliis emicantia proponantur; ſi eorum praeſtantia amplificetur; & quae inde emanant utilitates, extollantur . Ad id vero e reliquis valebunt maxime majorum exempla, eorumque , qui vel patriae, vel ſanguinis, vel conditionis cognatione cum illis, quos hortamur, conjuncti ſunt . Ita Cic. pro Sext. 65. *Vos*, inquit, *adoleſcentes, & qui nobiles eſtis, ad majorum veſtrum imitationem excitabo; & qui ingenio , & vitute nobilitatem poteſtis conſequi, ad eam rationem , in qua multi homines novi & honore & gloria floruerunt , cohortabor . Haec eſt una via, mihi credite, & laudis, & dignitatis, & honoris*, &c.

Illud tamen probo oratori diligenter ſervandum erit , ut non quidem aliqua ſive inanis gloriolae, ſive fluxarum rerum promiſſione, ſed minime ementitis bonis in primiſque virtutum nobilitate propoſita ad aemulationem alliciat auditores .

DE PUDORE.

PUdor eſt: *Dolor ob infamiae opinionem* . Quamobrem cietur pudor e vulgata ſcelerum fama, earumque rerum , e

uibus dedecoris opinio exſiſtit; neque illarum modò, quae nos, verum etiam quae ad noſtros pertinent.

Eos, autem potiſſimum pudet, qui de honore & fama maxime ſunt ſolliciti; in primis vero apud illos, quibuſcum de dignitate contendunt, vel quibus admirationi eſſe ſtudent, vel quorum virtutis maximam ipſi conceptam animo habent opinionem.

Hinc jam per ſe patet ratio, quam ad ciendum pudorem orator adhibeat. Modo enim illi, apud quos ſermo eſt, infamiam non plane deſpiciant, ſatis momenti habebit earum rerum commemoratio, quibus exiſtimatio denigrari queat; praeſertim vero ſi hae cum aliis recte factis conferantur. Exemplo eſſe poterit oratio Annibalis ſuos milites alloquentis apud Liv. XXXIII. 45. *Legatione Romani, & regionis unius atque alae magno certamine vix toleratis pugnam, quos binae acies conſulares nunquam ſuſtinuerunt? Marcellus tirone milite, ac Nolanis ſubſidiis fultus nos jam iterum laceſſit? Ubi ille meus miles eſt, qui erepto ex equo C. Flaminio conſuli caput abſtulit? Ubi, qui L. Paullum ad Cannas occidit? ferrumne hebet, an dexterae torpent? an quid prodigii eſt aliud? qui pauci plures vincere ſoliti eſtis, nunc paucis plures vix reſiſtitis. Romam vos expugnaturos, ſi quis duceret, fortes lingua jactabatis. en nunc minor res eſt, heic experiri vim, virtutemque volo.* &c.

ATQUE HAEC de univerſa affectuum doctrina: quae cum per ſe ipſa potentiſſima ſit, ex eo tamen maxime vis ejus pendet, uti monet Fabius VI. 2. ut ante moveamur ipſi, qui alios nitimur permovere. *Neque enim fieri poteſt*, inquit Cic. II. de Orat. 45. *ut doleat is, qui audit, ut oderit, ut invideat, ut pertimeſcat aliquid, ut ad fletum, miſericordiamque deducatur; niſi omnes ii motus, quos orator adhibere volet judici, in ipſo oratore impreſſi eſſe atque inuſti videbuntur.*

LIBER SECUNDUS
DE DISPOSITIONE.

POst rerum dicendarum Inventionem , ad earumdem Diſpoſitionem gradum facimus. Et ſane ſicut in aedibus exſtruendis, comparata ad operis uſum materia, non prius de ſtatuis, imaginibus, ac reliquo ornatu, quam de ſtructura , ſtructuraeque ordine cogitandum eſt , ut recte Dionyſius Halicarnaſſenſis ; ita ferme in oratione inſtruenda fieri neceſſe eſt , ut poſt res inventas prius partium diſpoſitionis , deinde vero ornatus , & elocutionis rationem habeamus.

Orationis autem partes, licet alii plures, alii pauciores, definiant, non immerito tamen a multis ſex enumerantur , nimirum Exordium , Propositio, Narratio, Confirmatio, Confutatio, & Epilogus : quarum prima ad conciliandum, poſtrema ad concitandum , reliquae porro pertinent ad docendum. Hae tamen ipſae non omnes, ut ex dicendis patebit, in omnibus cauſsarum generibus locum habent.

Caput I.

De Exordio.

A Tullio I. de Invent. 15. definitur Exordium : *Oratio animum auditoris idonee comparans ad reliquam dictionem.* Ejus enim proprium eſt, ita auditorem benevolum, attentum, & docilem facere , ut inde oratori facilior pateat aditus ad

per-

perſuadendum. Paratur autem benevolentia quidem argumentis ἠθικοῖς, de quibus & Lib. I. 7. egimus, & non multo poſt redibit ſermo; attentio vero promiſſione tum brevitatis, tum rerum gravium, utilium, & jucundarum; docilitas demum dilucida expoſitione eorum, de quibus dicendum erit.

Id tamen non ita intelligendum eſt, ut haec omnia ſemper exordio confici debeant: ubi enim ſatis benevolos, aut attentos auditores habeamus, puerile, atque adeo ridiculum eſſet, benevolentiam, vel attentionem velle captare. Tota itaque res in eo conſiſtit, ut cauſſae ratione diligenter excuſſa, quid ibi potiſſimum oratori opus ſit, dignoſcatur. In cauſſa enim honeſta, quae per ſe ipſa probetur, de benevolentia laborandum non erit. In admirabili autem, quae malae ſcilicet opinionis ſit, ut ſi quis pro parricida dicat, benevolentia conciliari debebit. In humili vero, ubi de re nullius momenti agatur, attentione indigebit orator. Docilitate demum in obſcura, quae implicata ſit, atque intellectu difficilis.

Sed illud praeterea in his omnibus animadvertere neceſſe eſt, ubi nimis infeſtos auditores orator habeat, ſive ob ipſum cauſſae genus, ſive quod hi ſunt aut ab adverſario jam perſuaſi, aut audiendo defeſſi, tum ad inſinuationem oportere confugere.

Eſt autem Inſinuatio, ut inquit Cic. ibid. *Oratio quadam diſſimulatione, & circuitione obſcure ſubiens auditoris animum*. Itaque ſi a nobis ob cauſſae turpitudinem auditores ſint alieni, tum, quaſi alia agamus, praeſtabit rem quampiam laudare, quae eiſdem probetur, & dicere, ea quae ipſi indignantur, nobis quoque indigna videri; ut ita paullatim conciliata benevolentia, ſenſim inde, & ſine ſenſu in defenſionem ingrediamur.

Sin autem auditores perſuaſi videantur, proderit plurimum orationem exordiri a refellendo illo potiſſimum argumento, quod maxime omnium probabile attulerit adverſarius; ut inopinata ipſa animi firmitudine commoveamus illorum mentes, atque ad dubitandum de rei veritate pertrahamus.

At ſi defatigati audiendo fuerint, e re noſtra erit orationis brevitatem polliceri; vel, ut Tullius ibid. 17. monet, *ab aliqua re nova, aut ridicula incipere . . . . quae vel apologum, vel fabulam, vel aliquam contineat irriſionem: aut ſi rei dignitas adimet jocandi facultatem, aliquid triſte, novum, horribile ſtatim non incommodum eſt injicere, nam . . . . . . animus defeſſus audiendo aut admiratione integratur, aut riſu renovatur.*

Jam

Jam vero, praeter hos exordiorum locos, qui aliquibus tantum cauſſis inſerviunt, plures alii ſunt vel peculiares ſingulis, vel communes omnibus generibus cauſſarum. In genere enim demonſtrativo ſumi initia poſſunt vel a laude; ut ſi ducem aliquem laudaturus, ab artis bellicae praeconiis exordiaris: vel a vituperatione; ut ſi de litterarum emolumentis dicturus, exordium ducas a vituperanda eorum amentia, qui illas averſantur: vel a ſuaſione; ut ſi paucis oſtendas honeſtum, maxime eſſe laudandum, ac deinde ſubjicias, te propterea in animum induxiſſe virtutum laudes perſequi.

In genere vero deliberativo principium capere licebit vel a removenda opinione eorum, qui forſitan miraturi ſunt, ejuſmodi oratorem aut aetate, aut prudentia, aut dignitate his, qui audiunt, minorem ad dandum conſilium ſurrexiſſe: vel a reprehenſione ſive eorum, qui contra dixerunt, ſive eorum, qui rem minus ſerio expenſam ſtatim comprobaſſe videantur.

In judiciali denique genere, in quo praecipue benevolentia opus eſt, argumenta deſumet orator, vel a perſona, vel a re. Et a perſona quidem ſive ſua, commemorando ſine ambitione ſua merita, imbecillitatem aperiendo, ingeniique facultatem ſincere extenuando; ut Cic. pro Roſc. Amer. & alibi: ſive auditoris, dignitatem ejus, doctrinam, virtutem extollendo; ut Idem pro Arch.: ſive rei, ſtudium ejus in rempublicam, morum integritatem, fortunae iniquitatem enunciando; ut pro Flacc.: ſive accuſatoris, timendo ipſius eloquentiam, aut favorem; ut pro Quint. A re denique paratur benevolentia, cum cauſſam noſtram eſſe longe honeſtiorem, & majori auditoribus emolumento oſtendimus.

Sed ſolent praeterea oratores pro quibuslibet cauſſarum generibus exordia ſumere vel ab ipſa rei expoſitione, ut Cic. pro Ligar. vel ab aliqua occaſione, ut Scipio apud Liv. XXVIII. 43. vel a leni quopiam affectuum commotione, ut apud eumdem VII. 40. M. Valerius Corvus. Ad haec ab adjunctis ſive loci, ut Tullius pro Leg. Manil., ſive temporis, ut pro Coel., ſive perſonarum, ut pro Mil.

Aliquando etiam nullo opus erit exordio, ut in orationibus invectivis, παθητικῶν, aliiſve, quae initium habent abruptum: quales ſunt Ciceronis in Catilinam, Junonis contra Trojanos I. Aen. 41. & paſſim Imperatorum apud hiſtoricos, ubi ſervet opus aliquod, nec in captandos animos inſumi tempus res patiuntur.

Quod vero ad exordii ſtructuram attinet, quatuor ejus partes ab Hermogene recenſentur, Propoſitio, ipſius Ratio,

Red.

Redditio, & redditionis Ratio. Ad hanc plane formam conſtatum occurrit exordium Orat. pro Leg. Manil. ubi propoſitio (cujus eſt viam ad redditionem ſternere) hoc habet initium: *Quamquam mihi ſemper frequens conſpectus veſter multo jucundiſſimus*, &c. Tum eam haec conſequitur ratio: *Nam cum antea per aetatem nondum hujus auctoritatem loci contingere auderem*, &c. Pone dein ſubit redditio, quae veluti altera eſt propoſitio; ubi cum res ipſa tangatur, tota exordii vis ac dignitas conſiſtit: *Nunc cum auctoritatis tantum in me ſit, quantum vos honoribus mandandis eſſe voluiſtis*, &c. Poſtremo ipſius redditionis ratio ad eam comprobandam, remque omnem manifeſtius aperiendam ſubjicitur: *Atque illud in primis mihi laetandum jure eſſe video*, &c.

Ejuſmodi vero de exordiorum partibus praecepta non ita ſervari oportere credendum eſt, ut non vel earum aliqua omitti, vel ordo variari, vel non etiam plures aliae attexi queant. Etenim ut brevius ſimplices, ita contra longius perplexae ſuſpectaeque cauſſae principium flagitant: &, quod monet Tullius II. de Orat. 79. *oportet, ut aedibus, ac templis veſtibula, & aditus, ſic cauſſis principia proportione rerum praeponere*.

Exordiorum porro vitia, quae ſummopere vitare oportebit, ab eodem Tullio I. de Invent. 18. ſeptem enumerantur, Vulgare, Commune, Commutabile, Longum, Separatum, Translatum, Contra praecepta.

Vulgare exordium eſt, quod in plures cauſſas poteſt accommodari. Commune, quod aeque convenit cauſſis oppoſitis. Commutabile, quod ab adverſario leviter immutatum contra nos intendi poteſt. Longum, quod fuſius producitur, quam rerum dicendarum ratio poſtulet. Separatum, quod nullam habet cum cauſſa affinitatem. Translatum, quod aliud, quam neceſſe eſt, conficit; ut ſi benevolentiam conciliet, ubi attentionem parare opus ſit. Contra praecepta denique eſt, quod exordii finem in comparandis animis poſitum non conſequitur. Hic autem omittendum non eſt, in genere demonſtrativo communibus & ſeparatis exordiis uti licere.

Sed jam totam hanc de prooemiis doctrinam verbis Tullii concludamus, qui ibidem de eorum dotibus haec habet: *Exordium ſententiarum & gravitatis plurimum debet habere, & omnino omnia, quae pertinent ad dignitatem, in ſe continere, propterea quod id optime faciendum eſt, quod oratorem auditori maxime commendat: ſplendoris, & feſtivitatis, & concinnitudinis minimum, propterea quod ex his ſuſpicio quaedam apparationis atque artificioſae diligentiae naſcitur, quae maxime orationi fidem, oratori adimit auctoritatem.*

CA-

Caput II.

De Propoſitione.

POstquam oratores ea, quae ad attentionem, aut benevolentiam aucupandam utilia viſa fuerint, in exordio propoſuerunt, ad docilitatem inde conciliandam breviter proponere orationis ſuae argumentum, & argumentorum ſuorum finem ſolent. Quod quidem interdum contenti ſunt in exordio generatim expoſuiſſe; ut apud Livium XXVIII. 40. Fabius Maximus de exercitu in Africam non mittendo dicturus: *Atque ego*, inquit, *certum habeo*, *diſſentienti mihi ab iſta feſtinatione in Africam trajiciendi*, *duarum rerum ſubeundam opinionem eſſe*, &c.

Interdum vero ſeparatim proponunt, & certe vel poſt exordium, ut Cic. pro Arch., vel poſt narrationem, ut pro Quint. prout cauſſae genus poſtulare videatur. Quapropter viſum eſt nonnullis de Propoſitione ſigillatim agere, tamquam de orationis parte ab exordio & narratione omnino ſejuncta.

Triplicis autem generis eſt Propoſitio, nimirum, ut aliquibus placuit appellare, (1) Sejuncta, (2) Simplex, & (3) Diſtributa.

1. Propoſitio ſejuncta dicitur, quae res ſecernendo diſtinguit, quid nobis cum adverſario conveniat, quidque porro in controverſiam vocetur: id quod potiſſimum in cauſſis implicatioribus non minimo ſubſidio eſſe poteſt. Ejuſmodi rationem ſectatur Cic. pro Mil. 11. ubi ait: *Sin hoc nemo veſtrum ita ſentit*, *illud jam in judicium venit*, *non*, *occiſus ne ſit*, *quod fatemur*; *ſed jure*, *an injuria*, *quod multis antea in cauſſis jam quaeſitum eſt*.

2. Simplex porro propoſitio nuncupatur, quae rem tantum unam (*) proponit. Hoc pacto Idem pro Dejot. 5. *Is igitur non modo a te periculo liberatus*, *ſed etiam honore ampliſſimo ornatus*, *arguitur*, *domi te ſuae interficere voluiſſe*. (*) *Quod tu*, *niſi cum furioſiſſimum judicas*, *ſuſpicari profecto non potes*.

3. Diſtributa denique eſt, quae rem totam, ut majus inde lumen orationi effundatur, plures in partes dividit. Ita pro Leg. Manil. 2. *Primum mihi videtur de genere belli*, *deinde de magnitudine*, *tum de imperatore deligendo eſſe dicendum*.

Illa vero in partitionibus ſervanda ſunt; primum ut diviſio rem omnem adaequet, neu quidquam, quod ad cauſſae cognitionem pertineat, praetermittatur: vitioſa enim illa eſſet,

ſet, ſi quis de tribus e. g. alicujus viri virtutibus verba facturus, duas tantummodo in diſtributione proponeret. Deinde cavendum, ut ne qua pars alteram comprehendat: quandoquidem ineptum foret, ſi quis de juſtitia, & de virtutibus ſe diſſerturum polliceretur, cum juſtitia ipſo virtutum genere contineatur. Poſtremo curandum ne propoſitio plus quam in tres, aut quatuor ad ſummum partes diſtribuatur; ne nimium conciſa obſcuritatem pariat.

Plures autem ſunt propoſitionis dotes, quarum oratori maxima habenda eſt ratio. Nam 1° quaecumque oratione tractanda ſunt, debet illa complecti; unde fiat, ut nihil poſtea, quod a propoſito alienum ſit, dicatur.

2° Opus eſt, ut ſit apprime dilucida; neque enim ferendum eſſet, ut illud ipſum obſcuritate laboraret, unde reliquae rationi claritas eſt comparanda.

3° Ita brevem eſſe oportet, ut ne uno quidem ſupervacuo verbo oneretur; quo facilius auditorum mentibus, quod praecipue accurari debet, inhaereat.

4° Denique operae pretium eſſe creditur, eam, quantum fieri poſſit ita inſtruere, ut inſigni aliquo vel novitatis, vel utilitatis aſpectu permovendis animis accomodatior evadat.

CAPUT III.

De Narratione.

NARRATIO, quae facti alicujus expoſitio eſt, in cauſſis judicialibus exordio plerumque ſuccedit; eaque vel continua, vel interciſa. Quare autem nonnunquam intercidi debeat, ita declarat Tullius I. de Invent. 21. *Cum ipſius rei geſtae expoſitio magnam excipit offenſionem. . . . . . membratim oportebit partes rei geſtae diſpergere in cauſſam, & ad unamquamque confeſtim rationem accommodare, ut vulneri praeſto medicamentum ſit, & odium ſtatim defenſio mitiget.* Eadem porro conciſio adhibetur, cum ſingulae narrationis partes aliquid continent, quod praeſtet ad cauſſae confirmationem ſtatim expendere. At in genere demonſtrativo alia plane de cauſſa conciſis narrationibus utimur, quod nimirum ibi confirmatio non aliud ſit, quam narratio amplificationibus intermixta. Deliberativum vero genus nullam omnino per ſe poſtulat narrationem, cum circa futura verſetur.

Jam oratoriae narrationis quatuor ſunt dotes, (1) Probabilitas, (2) Perſpicuitas, (3) Brevitas, & (4) Suavitas.

1.Pro.

1. Probabilitas reſidet in eo, tum ut res ea ſimplicitate, quae praecipua eſt veritatis nota, narretur; tum ut omnia conſentire inter ſe videantur, cunctiſque locorum, temporum, ac perſonarum adjunctis reſpondeant: necnon ut & cauſſae factorum exſiſtant, & agendi facultates fuiſſe appareat. Quod ſi contingat rem paene incredibilem videri, tum vel hiſtorici auctoritas, vel teſtium fides adhibebitur.

E re autem maxime erit, ita factum exponere, ut ſenſim ſine ſenſu auditorum animos ad id, quod propoſitum nobis eſt, comparemus. Quare docet Fabius IV. 2. perutile fore, in ipſa narratione non modo ſemina quaedam probationum ſpargere, verum etiam nonnunquam argumento aliquo, ſimplici tamen & brevi, confirmare quod animo intendimus; ut (quod ibidem affertur) ſi e. g. de veneficio ageretur: *Sanus bibit, ſtatim concidit, livor ac tumor confeſtim eſt inſecutus*.

2. Perſpicuitas, proprius narrationis character, praeſtat, ut quae in medium afferuntur, facile intelligantur, ac teneantur ab auditoribus. Id autem aſſequemur, ſi nihil eorum, quae ad rei cognitionem neceſſaria ſunt, praetermittatur; omnia vero tum eo, quo geſta ſunt, ordine, tum dilucidis verbis exponantur. Vitandae porro ſunt prolixae & crebrae parentheſes, producta atque implexa periodorum compoſitio, ac nominum perſonarumque multitudo, ne confuſionem gignant.

3. Brevitas, qua narrationis faſtidium removetur, ſita eſt in eo, ut ſupervacanea recidantur, neque altius, quam decet, narratio repetatur. Quamobrem quae paucis expediri poſſunt, longa oratione evolvenda non ſunt: niſi tamen hac ratione perſpicuitati conſulatur. Hinc Cic. I. de Invent. 20. reprehendit ejuſmodi narrationis genus, quo quis diceret: *Acceſſi ad aedes, puerum evocavi: reſpondit: quaeſivi Dominum: domi negavit eſſe*; ubi nimirum, uti monet, ſatis fuiſſet dicere: *Domi negavit eſſe*.

4. Suavitas porro naſcitur a delectu, & compoſitione verborum; a figuris ſuo loco adhibitis; atque ab interpoſitis aliquando motibus animorum.

Nihil tamen ſtudioſius in narratione ſervandum eſt, quam ut ſuſpenſos, exitumque rei expectantes auditores detineamus, atque in proceſſu magis magiſque curioſitatem excitemus.

Ut vero, quid potiſſimum inter oratoriam, atque hiſtoricam narrationem interſit, heic poſtremo paucis adjiciatur, ſatis erit animadvertere, hiſtoricam tendere totam ad faciendam rei narratae fidem; at oratoriam ita rem geſtam aperire, ut ſemper in eam partem inclinet, in quam auditores flectere nititur.

Ca-

Caput IV.

De Confirmatione.

Hactenus ea, quae ad quoddam veluti pugnae praeludium armorumque ventilationem pertinebant, tradidimus: quae tamen omnia irrita eſſent, niſi firmiſſimis argumentis auditores in noſtram ſententiam traducere conaremur. De inveniendis igitur argumentis cum fuſe admodum ſuperiori libro actum fuerit, heic dumtaxat ea ſectabimur, quae ad ipſorum apparatum uſumque pertinent. Itaque primum de variis argumenta efferendi rationibus, tum de recta eorum collocatione videbimus.

Plures vulgo traduntur argumentationis ſpecies; quarum tamen ſumma capita ſunt Syllogiſmus, qui epichirema, enthymema, ſoriten, & dilemma comprehendit; atque Inductio, ad quam exemplum pertinet.

I. Syllogiſmus ἀπὸ τοῦ συλλογίζεσθαι (*a ratiocinando*) dictus, tribus conſtat partibus, Propoſitione, Aſſumtione, & Complexione. E. g.

Propoſ. *Omnis virtus ſedulo eſt colenda:*

Aſſumt. *Juſtitia eſt virtus:*

Complex. *Juſtitia igitur ſedulo colenda eſt.*

Haec autem argumentationis forma Dialecticorum propria, licet nonnunquam eodem plane modo ab oratore uſurpetur, ita tamen plerumque tractari ſolet, ut & propoſitioni, & aſſumtioni vel alterutri earum ſuae probationes addantur; ac tum peculiari nomine Epichirema ab ἐπιχειρέω (*aggredior*) nuncupatur, quod & *Aggreſſio* dicitur apud Quintil. V. 10. Exemplo ſit illud, quod in hanc rem affertur a Tullio I. de Invent. 34.

Propoſ. *Melius accurantur, quae conſilio geruntur, quam quae ſine conſilio adminiſtrantur.*

Probat. *Domus ea, quae ratione regitur, omnibus inſtructior eſt rebus, & apparatior, quam ea, quae temere, & nullo conſilio adminiſtratur. Exercitus is, cui praepoſitus eſt ſapiens & callidus Imperator, omnibus partibus commodius regitur, quam is, qui ſtultitia & temeritate alicujus adminiſtratur. Eadem navigii ratio eſt, nam navis optime curſum conficit, ea, quae ſcientiſſimo gubernatore utitur.*

Aſſumt. *Nihil autem omnium rerum melius, quam omnis mundus, adminiſtratur.*

Pro-

Probat. *Nam & ſignorum ortus, & obitus definitum quemdam ordinem ſervant, & annuae commutationes non modo quadam ex neceſſitate ſemper eodem modo fiunt, verum ad utilitates quoque rerum omnium ſunt accommodatae, & diurnae nocturnaeque viciſſitudines nulla in re unquam mutatae quidquam nocuerunt.*

Complex. *Conſilio igitur mundus adminiſtratur.*

Jam vero ſi non omnes Syllogiſmi partes exprimantur, ſed priorum altera quaſi animo concluſa reticeatur, dicitur Enthymema *ἀπὸ τῦ ἐνθυμεῖσθαι* (*in animo verſare*) *E. g.*

Honores ſunt res caducae:

Non pluris igitur, quam nauci, ducendi ſunt.

Cum porro plures ſententiae ita inter ſe connectuntur, ut per eas veluti gradatim ad complexionem perveniatur, ejuſmodi argumentatio appellatur Sorites *ἀπὸ τῦ σωρῦ* (quod eſt *acervus*); quam propterea Tullius II. de Divin. 4. *acervalem* reddi poſſe affirmat. Ea ſic fere utitur Idem pro L. Flacco 19.

Si praetor (pecuniam) *dedit, ut eſt ſcriptum, a quaeſtore numeravit:*

Quaeſtor a menſa publica:

Menſa aut ex vectigali, aut ex tributo:

Ergo ſi praetor dedit pecuniam, aut ex vectigali, aut ex tributo dedit.

Hoc autem argumentandi genus, quod e pluribus conflatum ſyllogiſmis quivis intelliget, cum per ſe ſit validiſſimum, non raro tamen captioſum eſſe ſolet. Ipſum itaque nullo queas pacto facilius, quam diſſolvendo, & ſingula ad trutinam revocando, perſtringere: ita enim ſi forte quid falſi in multiplici illa propoſitionum congerie deliteſcat, in lucem apertumque prodeat neceſſe erit.

Inter argumentationes denique ad ſyllogiſmum ſpectantes recenſetur etiam Dilemma; quod eſt bicornis quaedam diſputandi ratio, cujus ſi partem unam effugeris, in alteram incidas oportet: cui propterea inde nomen factum eſt, quod *διλήμμασι* (*duabus propoſitionibus*) ex utraque parte adverſarium concludat. Hujuſmodi eſt illud Ciceronis V. Philip. 9. quo demonſtrat legatos ad Antonium mitti non oportere: *Legatos decernis: ſi ut depreceris, contemnet: ſi ut imperes, non audiet.*

II. Inductio porro apud Rhetores eſt, cum e multorum ſimilium enumeratione quidpiam colligitur. Hanc rationem adhibet Tullius pro Mil. 3. cum inquit: *Neque enim poſſet aut Ahala ille Servilius, aut P. Naſica, aut L. Opimius, aut C. Marius, aut, me conſule, ſenatus non nefarius haberi, ſi ſceleratos cives interfici nefas eſſet.*

Quod ſi argumentum non a pluribus, ſed ab uno ſimili ad aliud deducatur, dicitur Exemplum; quod eſt, ut patet, quaedam inductionis ſpecies.

Quod attinet ad ordinem producendorum argumentorum, quidam exiſtimant initium eſſe ducendum ab infirmioribus, & ſenſim ad firmiora procedendum: alii vero, validiora in principio, atque in fine, imbecilliora autem in medio eſſe collocanda. Sed utrum ex his ordinem ſervari praeſtet, ipſa cujuſque cauſſae ratio conſtituet, modo ne unquam oratio in fine decreſcat; ut monet Quintil. V. 12.

Illud etiam porro in argumentis proferendis curandum eſt, ut validis ſigillatim inſiſtamus; levia vero (non quidem futilia, aut vitioſa, quae omnino rejicienda ſunt) coacervemus, quo feriant ſaltem, ut grando; ut idem praeceptor ibid. Dialecticam autem in proponendis argumentis parſimoniam vitare oportet: ſiquidem oratores quemadmodum non eumdem ſemper, ac philoſophi, in ſingulis argumenti partibus ordinem ſervant, ſed eas pro arbitrio invertunt; ita etiam plerumque, niſi ubi quaſi collato pede pugnare malint, unamquamque illarum ſummopere dilatant atque amplificant.

Caput V.

De Amplificatione.

Ad argumentationem, de qua modo dictum, maxime ſpectat Amplificatio, quae rem vel exaggeret, vel extenuet; vel etiam, ubi cauſſa poſtulare videatur, affectus cieat. De ea igitur nos heic acturi expeditiſſimam Quintiliani methodum ſectabimur; qui VIII. 4. quatuor amplificandi modos tradit, per (1) Incrementum, (2) Comparationem, (3) Ratiocinationem, & (4) Congeriem.

1. Per incrementum duplici praecipue ratione facinus aliquod amplificatur. Primo cum gradatim ad majora progredimur, & affirmamus ea, quae minora ſunt, ingentis eſſe momenti; ita ut poſtremo exaggerandae rei gravitatem auditoribus expendendam relinquamus. Ita Cic. ultima in Verrem 66. atrocitatem mortis Romano civi in cruce irrogatae amplificat: *Facinus eſt vincire civem Romanum: ſcelus verberare: prope parricidium necare: quid dicam in crucem tollere? verbo ſatis digno tam nefaria res appellari nullo modo poteſt.*

Deinde cum in progreſſu orationis graviora ſemper ad rem augendam adjuncta proponimus. Hoc pacto II. Philip. 15 An-

25. Antonii vomitus exagitatur: *Tu iſtis faucibus, iſtis lateribus, iſta gladiatoria totius corporis firmitate tantum vini in Hippiae nuptiis exhauſeras, ut tibi neceſſe eſſet in populi Romani conſpectu vomere poſtridie. O rem non modo viſu foedam, ſed etiam auditu! Si inter coenam in ipſis tuis immanibus illis poculis hoc tibi accidiſſet, quis non turpe diceret? in coetu vero populi Romani, negotium publicum gerens, magiſter equitum, cui ructare turpe eſſet, is vomens, fruſtis eſculentis, vinum redolentibus, gremium ſuum, & totum tribunal implevit*. Ubi oratio ſenſim increbreſcit ex nova adjunctorum graviorum acceſſione, & quaſi per gradus celeriter ad ſummum tendit.

2. Per comparationem vero trifariam augeri res poterit. Primo cum aliam minoris gravitatis effingimus, eamque exaggeramus, ut inde illius, qua de agitur, magnitudo luculentius appareat. Ita Tullius I. in Catil. 7. *Servi mehercule mei ſi me iſto pacto metuerent, ut te metuunt omnes cives tui, domum meam relinquendam putarem: tu tibi urbem non arbitraris?*

Praeterea cum aliud non fictum quidem, ſed verum amplificatur; eoque deinde nihilo levius, aut etiam gravius facinus, quod exaggerandum eſt, oſtenditur. Hujus generis amplificatio erit, ſi quis Judaicam in Chriſtum Dominum crudelitatem efferat, tum vero divinarum legum violatores Judaeis non abſimiles, atque adeo deteriores eſſe probet. Ita Cic. pro Marcel. 3. & 4. gloriam a Caeſare armis comparatam mirum in modum extollit; inde autem laudes manſuetudine partas longe praeſtantiores eſſe demonſtrat.

Poſtremo cum totum toti, & partes partibus conferuntur. Exemplo ſit illud Ciceronis I. in Catil. 1. *An vero vir ampliſſimus P. Scipio, pontifex maximus, Ti. Gracchum, mediocriter labefactantem ſtatum reipublicae, privatus interfecit; Catilinam vero, orbem terrae caede atque incendiis vaſtare cupientem, nos conſules perferemus?*

3. Jam per ratiocinationem fit amplificatio; cum ex unius rei exaggerata magnitudine facilius magnitudo alterius colligitur. Itaque ad oſtendendam victoriae nobilitatem, multitudo, & robur hoſtium extolli poteſt: quemadmodum Tullius pro Leg. Manil. 11. & 12. damna a praedonibus Romanae reipublicae illata maximopere exaggerat, ut inde Pompeji in tanto conficiendo bello virtus effulgeat. Eodem nos pacto ſuppliciorum atrocitatem, tyranni furorem, tortorum immanitatem, id genus alia, quo fortitudo Martyris illuſtretur, utiliter efferemus.

4. Per congeriem denique amplificatur facinus; cum plura verba ſententiaeque in eamdem rem congeruntur. Ejuſmodi

di eſt illa Ciceronis pro Ligar. 3. *Quid enim, Tubero, diſtrictus ille tuus in acie Pharſalica gladius agebat? cujus latus ille mucro petebat? qui ſenſus erat armorum tuorum? quae tua mens? oculi? manus? ardor animi? quid cupiebas? quid optabas?*

Verum plures alii amplificandi modi (praeter eos, qui e locis communibus derivantur, de quibus ſatis ſuperque ſuperiore libro egimus) palam fient, ubi de ſchematum uſu ſermo erit.

Caput VI.

De Confutatione.

Quanta in judiciis ſit defenſionis prae accuſatione difficultas, pluribus exaggerat Quintilianus V. 13. ubi concludit, tanto illius difficultatem eſſe majorem, quanto ſanare vulnera, quam facere, difficilius eſt.

Sed in eo potiſſimum oratoris prudentia deſideratur, ut accurate perpendat, quae gravia, quaeve levia ſint ab adverſario objecta, ut pro diverſis eorumdem momentis diverſam confutandi ineat rationem. Nam quae inania ſunt, ea longe praeſtabit levi brachio rejicere; ne ſi nimium agitentur, vel hoc ipſo magnae gravitatis eſſe videantur.

Tum vero penitus dignoſcendum eſt, unde potiſſimum confutationem oporteat exordiri. Nonnunquam enim proderit initium ab infirmioribus ſumere, ut iis diſcuſſis ad validiora diruenda totum eloquentiae robur convertatur: nonnunquam vero a ſolidioribus, ut poſtquam haec diffracta fuerint, reliqua inde nullo negotio disjiciantur. Quod ſi inter contra allata argumenta unum aliquod ſit, unde alia omnia enaſcantur, tunc neceſſe omnino erit in illud primo irruere, ut eo expugnato, cetera uno veluti eodemque labefactata motu concidant.

Modi autem refutandi plures enumerantur. Etenim 1.° inſtitui confutatio poteſt per inficiationem, ſi nimirum negetur, quae adverſarius intenderit, vera eſſe, aut probabilia; inque eam rem congerantur argumenta deſumta vel ab ipſa cauſſa, vel a perſonae moribus, vel ab adjunctis ſive loci, ſive temporis, atque a ſexcentis id genus aliis. Cujuſmodi exempla paſſim occurrunt in Tullii Orat. pro Quint. 11., pro Roſc. Amer. 14., pro Dejot. 5., atque alibi.

2.° Per ejuſmodi rationes, quibus probetur aut jure factum, quod arguitur; aut ex his, quae opponuntur, non id con-

conſequi, quod contenditur; aut eadem illa ſibi neutiquam conſtare: ut pro Muren. 33., pro Ligar. 2., pro Roſc. Amer. 15.

3.° Per coacervationem exemplorum, e quibus rei veritas, contra quam contendit adverſarius, demonſtretur; ut pro Cornel. Balb. 22.

4.° Per ſubjectionem, cum quae levia ſunt, levi ſubjecta confutatione diruuntur. Ita pro Roſc. Amer. 18. *Convivia cum patre non inibat: quippe qui ne in oppidum quidem, niſi perraro, veniret. Domum ſuam iſtum non fere quiſquam vocabat: nec mirum, qui neque in urbe viveret, neque revocaturus eſſet.*

5.° Per contemtum, ubi orator cauſſae ſuae firmitate confiſus, quae ad eam evertendam afferuntur, parvi ſe facere oſtendit; ut pro Planc. 25. ab illis verbis: *Profers triumphos* &c.

6.° Proderit etiam nonnunquam urbano aliquo joco objecta refellere; modo tamen is nec petulantiae, neque ſcurrilitatis quidquam oleat, nec porro cuipiam laedendo ſit comparatus.

Quonam autem in loco conſtitui debeat confutatio, ab ipſo, quod gerimus, munere pendet. Cum enim reſpondemus, primum objecta diluimus, deinde noſtra producimus argumenta: cum vero cauſſam agimus, ab argumentis noſtris initium ducimus.

CAPUT VII.

De Epilogo.

VLTIMAM orationis partem dixere Graeci Ἐπίλογον (*ἀπὸ τοῦ ἐπιλέγειν*, quod eſt *dictis aliquid addere*); at Latini Perorationem, cum ſit eadem totius ſermonis exitus ac determinatio. Ipſius partes ſunt (1) Enumeratio, Graece *ἀνακεφαλαίωσις* appellata; & (2) Commotio affectum, ſive *παθοποιΐα*.

1. Enumerationem inſtituere debet orator, leviter recenſendo argumenta, quae in confirmatione allata ſunt; eaque auditoribus proponendo, uno veluti intuitu ſpectanda: inde enim fit, ut firmius haereant, & congerie illa vehementius animos aggrediantur. Hujus generis eſt enumeratio in Maniliana 9. ubi orator, ut belli gravitatem, quam diu multumque expenderat, altius inculcaret, ſic rem totam uno ſententiarum ambitu comprehendit: *Sed ea vos conjectura perſpicitis, quantum illud bellum futurum putetis, quod conjungant reges po-*

potentiſſimi, renovent agitatae nationes, ſuſcipiant integrae gentes, novus imperator veſter accipiat, vetere expulſo exercitu. Quae tamen ipſa enumerandi ratio prolixior in cauſſis implicatioribus eſſe ſolet; qualem exhibet peroratio pro Quint. quae adiri poterit.

2. Commotio vero affectuum, quod alterum eſt, & quidem maxime proprium Epilogi munus, totam poſtulat, utpote difficillimum, eloquentiae vim; ac praeſertim non vulgarem in oratore ipſo animi perturbationem, cum fieri nequaquam poſſit, ut alios inflammet, qui non ipſe in primis ardere videatur. Id autem inde potiſſimum conſequetur orator, ſi res, per quas affectus ciendi ſunt, ita conceptas animo habeat, ut eaſdem quaſi oculis ſubjectas intueatur.

Non minimi vero ad auditorum animos permovendos momenti erunt figurae non nimis parce adhibitae; ac prae reliquis Proſopopoeia, Apoſtrophe, Exclamatio, Admiratio, Interrogatio: quarum quidem varietate mirum in modum nitet Miloniana peroratio.

Jam porro quinam praecipue affectus concitandi ſint, ex ipſo genere cauſſae, cum aliis alii conveniant, operoſum non erit colligere. In genere enim demonſtrativo, ſi laudamus, amorem, gratulationem, admirationem, aemulationem excitabimus; ſin vituperamus, odium, iram, contemtum peroratio commovebit. In deliberativo ſpes cieri bonorum promiſſione, vel metus ex periculi magnitudine incuti poterit. In genere vero judiciali omnes ſunt excutiendae affectiones, in primiſque indignatio, & miſericordia: quarum alteram accuſator, alteram reus commovere in judice connitetur.

Illud poſtremo monendum ſupereſt, Epilogum & concitatum eſſe debere, ut animos feriat vehementius; & brevem, ne excitati affectus iterum oblangueſcant. Atque haec de rerum Diſpoſitione.

LI.

LIBER TERTIUS DE ELOCUTIONE.

AD ILLAM tandem Oratoriarum inſtitutionum partem ventum eſt, in qua potiſſimum eloquentiae dignitas conſiſtit, & ex qua, ut ait Quintil. in procemio Lib. VIII. orator oratore praeſtantior, & ipſa genera dicendi aliis alia potiora cognoſcuntur. Tota autem elocutionis ratio ſic paucis concluſa eſt a Tullio III. de Orat. 10. *Quinam igitur dicendi eſt modus melior . . . . quam ut Latine, ut Plane, ut Ornate, ut ad id, quodcumque agetur, Apte congruenterque dicamus?* Unde perſpicitur, quatuor omnino Elocutionis eſſe virtutes, Elegantiam, Perſpicuitatem, Ornatum, & Congruentiam. Quae ſingula nos inſpecturi, poſtremo eorum in quartum Librum rejecto, de tribus prioribus in praeſenti videbimus.

CAPUT I.

De Sermonis elegantia.

LATINI ſermonis elegantiam non ex aliis quidem fontibus, quam e veterum Scriptorum monumentis, hauriri poſſe per ſe quiſque facile intelligit. Verum quoniam non una ſemper eademque fuit latinitatis ratio, ſed pro temporum diverſitate, longe a ſe ipſa diverſa; idcirco voces non promiſcue ad utendum arripere, ſed ſumma cura deligere oportebit, & quid praecipue ſit imitandum, quidve contra fugiendum, pernoſcere. Quod ut recte & ordine fiat, jam pauculas

tota ea de re attexemus praeceptiones, quae ſatis tironum uſui eſſe poterunt.

Primo itaque rejicientur verba Romanis eruditiſſimi ſaeculi inviſa, ſuperioribus licet aetatibus uſurpata; ut *nenum*, vel *nenu* pro non; *topper* pro celeriter; *antigerio* pro valde, & ſtatim; *duonus* pro bonus; *cerufes* pro creator; & ſexcenta his ſimilia, quae horridam antiquitatem redolentia, ubi nitidiora ſaecula adventarunt, paullatim in deſuetudinem abierunt.

Heic autem monere ſubit, ejuſmodi verba plane priſca atque obſoleta diſtinguenda ab illis eſſe, quae quamquam antiqua, Auguſtae tamen aetatis ſcriptoribus in uſu aliquando fuerunt. Hujus ſane generis ſunt *olli* pro illi; *fuat* pro ſit; *infit* pro inquit, apud Virgilium; *moriri* pro mori, apud Ovidium; *raudusculum*, *averruncare*, *tricari*, apud Ciceronem; atque alia plura ejuſdem notae vocabula. Quae profecto ſi iiſdem de cauſſis, ob quas illi, adhibeamus, nimirum vel ut loquentis majeſtatem imitemur, vel ut orationi gratiam comparemus, vel denique quod ita fieri utilitas aut neceſſitas jubeat, nullius plane in ſermonis elegantiam admiſſi criminis arguemur.

A novis quoque vocabulis (niſi tamen ſecus fieri neceſſe ſit) abſtinendum eſt; ab iis ſcilicet, quae aut edita immane quantum a florentiſſimi aevi nitore aberrarunt. Ejuſmodi ſunt in primis quamplurima illa, quae malo publico diſciplinas miſere occuparunt, quaſi vero nobiliſſimae artes non aliis, quam per barbariem invectis vocabulis, tractari poſſent.

At longe tamen diſſimilis eſt ratio earum vocum, quae licet novae, ut pote de rebus per ſequiores aetates inventis, doctorum tamen hominum auctoritate in ipſa prope veteris latinitatis jura immiſſae ſunt. Namque ubi res ita ſe habeat, nullo certe non tempore vigebit effatum illud Horatii in Art. poet.

. . . . . Licuit, ſemperque licebit
Signatum praeſente nota procudere nomen.

Quapropter improbanda non minimum videtur eſſe illorum ſuperſtitio, qui futili quodam puritatis ſtudio a vocabulis eccleſiaſticis, doctiſſimorum praeſertim Patrum conſuetudine firmatis, tamquam a barbaris & peregrinis cavandum ſibi eſſe arbitrantur.

Illud autem praeterea elegantiae ſervandae gratia curari oportet, ne poeticae dictiones a pedeſtri ſermone abhorrentes oratoriis immiſceantur. Neque enim par eſſet in proſa oratione di-

dici *freta*, vel *vada* pro mari; *pinum*, vel *alnum* pro navigio; *alarum*, vel *pennarum remigium* pro alis; & quaecumque alia innumera non niſi poetici ſtyli audaciae ſunt permittenda.

Verum ut univerſa tandem, quae de ſermonis elegantia tradi ſolent, uno verbo concludamus; nulla profecto ratio ad eam comparandam poterit eſſe tironibus accomodatior, quam ut, dum judicium firmaverit aetas, ab aurei ſaeculi exemplis nihil unquam abſcedant.

CAPUT II.

De Perſpicuitate ſermonis.

NULLUM ſane in exquiſita latinitate comparanda ſtudium foret, ſi quod verborum elegantia ornamus, minus ii intelligerent, ad quos fertur oratio noſtra. Quare ad alteram quam maxime neceſſariam elocutionis virtutem, quae eſt Perſpicuitas, gradum facimus.

Haec autem poſtulat, ut voces adhibeantur, & propriae, & uſitatae: quae ſcilicet tum nativam ex optimorum auctorum uſu ſignificandi vim habeant; tum vero neque obſoletae ſint, nec novatae, nec denique nimis rarae, quippe quae etiam parere obſcuritatem ſoleant. A propriarum tamen numero non excludimus translatas; quas, modo non longe petitae fuerint, eodem ac illas loco cum Fabio habemus, cum re vera nihil eis ſit ſignificantius.

Jam porro plura ſunt, quae ſermonis perſpicuitati maximopere adverſantur, a quibus propterea diligenter cavere opus erit. Ejuſmodi 1.° eſt Ὁμωνυμία (*nominis communio*) per quam fit, ut e voce aliqua diverſas res denotante ambiguitas oriatur. Ita ſi vox *taurus* nullis adhiberetur adjunctis, quae ſenſum definirent, tenebras procul dubio offunderet orationi, cum plura ſignificet.

Rurſus vero non minimum elegantiae ſermoni comparatur, ſi ita vox in uno ſenſu accipitur, ut ad aliud quidpiam alludatur: quo pacto apud Macrob. Saturnal. II. 4. Auguſtus de quodam, qui monumentum patris exaraverat, inquit: *Hoc eſt vere monumentum patris colere.*

2.° Obſcuram reddit orationem Ἀμφιβολία (*ſermonis ambiguitas*). Cujus rei exemplo eſto celebre illud Ennii:

Ajo te, Aeacida, Romanos vincere poſſe.

In eo tamen ipſo nullum inerit vitium, ſi conſulto fiat ad

ad feriendam utramque partem. Quod plane animadvertitur in illo Terentii Hecyr. II. 1.

Itaque adeo uno animo omnes ſocrus oderunt nurus.

3.° Βραχυλογία (*brevitas ſermonis*) cum nimirum aut vox aliqua ad ſententiae intelligentiam neceſſaria praeteritur, aut res per ſe difficiles paucioribus, quam par ſit, enuntiantur. Quibus de cauſſis obſcurus maxime cenſetur Thucydides, & prae omnibus Perſius.

4.° Μακρολογία (*prolixitas orationis*) quae brachylogiae oppoſita, facit ut oratio verboſior ſit, & prolixior, quam ut res ferat.

5.° Ἀναστροφή (*inverſio*) qua eiuſdem commatis voces perperam tranſponuntur: qualis in illo Virgilii IV. Georg. 445.

Nam quis te, juvenum confidentiſſime, noſtras
Juſſit adire domos?

pro *quiſnam*, ut ibi Servius.

6.° Σύγχυσις (*confuſio*) cum verbum de uno commate in alterum transfertur; ut apud Hor. I. Sat. 5.

Namque pila lippis inimicum & ludere crudis.

Hanc autem ſermonis obſcuritatem, quae ſive ab anaſtrophe, ſive a ſynchyſi naſcitur, non ſemper vitioſam eſſe, e probatiſſimorum ſcriptorum exemplis aperte colligitur: quippe cum ab iis conſulto interdum offuſa videatur, praeſertim a Virgilio, qui cum aliquid turbatum in rebus eſt, orationem artificioſe perturbat. Ita, praeter alia multa loca, IV. Aen. 285.

Atque animum nunc huc celerem, nunc dividit illuc.

Et II. 348. in illa rerum omnium perturbatione Aeneas implexa plus nimio utitur oratione, cum inquit:

. . . . *Juvenes, fortiſſima, fruſtra,*
Pectora, &c.

Ubi vox *fruſtra*, uti obſervavit Servius, quinto tandem verſui extremo, *ſuccurritis urbi*, reſpondet.

CAPUT III.

De Tropis.

POSTQUAM verborum delectum habuimus, reliquum eſt, ut eadem ornentur tum ſingula Troporum & Schematum ſplendore, tum juncta ſimul Compoſitione. Jam igitur de Tropis heic dicemus, reliqua ſuis locis expenſuri.

Tropus ex nominis poteſtate *verſionem* ſignificat, cum ejus

ejus proprium ſit vocum ſemper notionem invertere; per quod unum maxime differt a ſchemate, de quo deinceps. Quare a Quintiliano VII. 5. definitur: *Verbi, vel ſermonis a propria ſignificatione in aliam cum virtute mutatio*. Sunt autem Troporum ſpecies quatuor: Metaphora, Metonymia, Synecdoche, & Ironia.

Metaphora.

Eſt: *Tropus propriam verborum ſignificationem ad alienam ob ſimilitudinem inflectens*. Itaque in transferendis vocibus ſimilitudo praecipue ſpectanda eſt: ut quoniam cum unda, quae magna vi volvitur, ſimilitudinem quamdam habet hominum multitudo confertim foribus erumpens, hanc ipſam *undam ſalutantum* appellat Maro II. Georg. 462.

Non ſolum autem ſimilitudine, quae eſt inter duo, niti ſolet Metaphora; ſed etiam proportione, quae vertitur inter bina. Ejus generis eſt, cum rex dicitur *regni gubernator*, in qua regnum confertur navi, & regis munus muneri gubernatoris; non ſecus enim hic navis curſum, quam ille regni ſui dirigit molem. Ubi quidem nulla opus eſt inter navim & regnum, regem & gubernatorem ſimilitudine ſtricte accepta, ſed ſufficit analogia, ut ſcilicet id regno praeſtet regis ſollertia, quod navi praeſtat vigilantia gubernatoris.

Nullae porro res ſunt, unde metaphorae ſumi non poſſint, modo non deſit ſimilitudo. Ducuntur itaque vel ab animatis ad animata; ut cum crudelis quiſpiam dicitur *tigris* aut *Nero*: vel ab animatis ad inanimata; ut apud Hor. Epod. 16.

Levis crepante lympha deſilit pede.

vel ab inanimatis ad animata; ut cum Virgil. VI. Aen. 842. *duo fulmina belli* Scipiadas appellavit: vel ab inanimatis ad inanimata; ut apud eumdem I. Georg. 471.

. . . . *Undantem ruptis fornacibus Aetnam*.

Illuſtriores vero prae reliquis, teſte Fabio VIII. 6. habentur metaphorae, quae ſenſum atque affectum tribuunt inanimatis; ut illa ejuſdem poetae VIII. Aen. 728.

. . . . *Pontem indignatus Araxes*.

Nihil autem tam ſedulo curandum eſt in transferendis verbis, quam ut vitia illa vitentur, in quae metaphorae ſolent incidere.

Eorum primum eſt, cum ſumuntur a re diſſimili. Hac de cauſſa durum putatur a Tullio III. de Orat. 40. illud Ennii: *Caeli fornices*; etenim *in ſphaera*, inquit, *fornicis ſimilitudo non poteſt ineſſe*: quippe cum is hemicylindri arcuati imagi-

nem

nem referat . Nec plane probatur Scaligero in Hypercritico illa Venuſini poetae translatio , quae tribuit ora triremibus Epod. 4.

Quid attinet tot ora navium gravi
Roſtrata duci pondere
Contra latrones? &c.

Quidquid autem de hoc ſit, dura certe ſunt illa *aſtrorum populus* Martiani Capellae VII. & *ſcelerum populus* Sidonii Apollinaris VI. epiſt. 2. pro multitudine.

Jam alterum metaphorae vitium eſt, ſi longe ſimile ſit ductum. Quare patrimonium abligurientem , non *ſyrtim patrimonii*, ſed *ſcopulum;* non *charybdim bonorum*, ſed *voraginem* appellandum credit Cic. III. de Orat. 41. quandoquidem genera ſunt notiora ſpeciebus; & magis viſa, quam audita, feriunt ſenſus.

Tertium vitium eſt, ſi metaphora ad res humiles exprimendas a nimis grandibus petatur, vel contra ab humillimis ad magnas. Hujuſmodi ſunt, quae in hujuſce rei exemplum afferuntur a Cicerone ibid. *tempeſtas comiſſationis*, & *comiſſatio tempeſtatis* : necnon quae notatur a Fabio VIII. 6. *ſaxea verruca* in ſummo montis vertice; at illis certe aliquanto tolerabilior.

In his tamen hactenus enumeratis vitiis, ſi translatio paullo durior & audacior videatur, molliri poterit vel particulis *quaſi*, *quodammodo*, &c. vel aliqua ejuſmodi formula, *ut ita dicam*, *ſi fas eſt dicere*, &c.

Jam quartum metaphorae vitium eſt, ſi a re vili , aut foeda ſumatur: qualis illa M. Furii Bibaculi, quam reprehendit Hor. II. Serm. 5.

Jupiter hibernas cana nive conſpuit Alpes.

Quintum eſt, ſi non perſiſtat in eodem genere; ut ſi, translatione a ſacris petita, dicatur: *rem aliquam illotis manibus ingredi*, pro tractare; vel rurſus *illotis pedibus tractare* pro ingredi ; is ſcilicet, qui ad dicendum agendumve imparatus aggrediatur.

Verum non tantam demum hujus praeceptionis vim eſſe, ut non ipſius aliquando fines impune liceat tranſilire, oſtendunt plura veterum ſcriptorum exempla, ut e reliquis hoc Flacci I. Epiſt. 1.

Nemo adeo ferus eſt, ut non miteſcere poſſit,
Si modo culturae patientem commodet aurem.

Ubi quidem non inconcinne & a belluis feritas, & ab agris cultura diverſo metaphorae genere deſumta eſt.

Sextum denique, ſi metaphorae praeter modum condenſen-

ſentur: quo ſane vitio laborarunt praecipue illi, qui infeliciſſimis ab everſa latinitare ſaeculis viventes nil recte dictum putabant, niſi translatum.

Utimur autem metaphoris aliquando ob neceſſitatem, cum propriis verbis deſtituimur; ut cum *gemmae*, vel *oculus* dicitur in vitibus, *pes* in velis: aliquando ob vehementiorem ſignificationem, ut *incenſus ira*, *inflammatus furore*, *ſomno vinoque ſepultus*, aliquando ob jucunditatem atque ornatum, ut *flos aetatis*, *lumina orationis*, *flumen eloquentiae*,

M e t o n y m i a.

Quam Quintil. VIII. 6. *nominis pro nomine poſitionem* interpretatur, a Tullio in Orat. 27. ac inde ab eodem Fabio ibid. dicitur vocata Rhetoribus fuiſſe *hypaliage* (i. e. *ſubmutatio*). Quod totum recte ſe habet: illius enim eſt commutare nomina rerum, quae naturali quodam vinculo inter ſe conjunctae ſunt; ut mox patebit. Eſt autem quadruplicis generis, ſcilicet (1) Cauſſae, (2) Effecti, (3) τοῦ Ὑποκειμένου (*Subjecti*), & (4) Adjuncti.

1. Metonymia cauſſae pro tribus cauſſarum generibus, unde deſumi ſolet, in tres claſſes diſtribuitur.

Earum una eſt, cum cauſſa efficiens pro ſuo effectu ponitur; ut Scriptor pro opere, aut Numen pro re, quam inveniſſe, aut effeciſſe dicitur. Mart. XIV. 188.

Pellibus exiguis arctatur Livius ingens,
Quem mea non totum bibliotheca capit.

Virg. V. Aen. 662.

. . . . . *Furit immiſſis Vulcanus habenis.*

Et VIII. 180.

. . . . . . *Onerantque caniſtris*
Dona laboratae Cereris, Bacchumque miniſtrant.

Altera porro eſt, cum inſtrumentum pro eo adhibetur, quod per ipſum praeſtatur; ut *lingua* pro ſermone, *oculus* pro viſu, *manus* pro ſcripto, aut opere. Sic Tullius IX. Fam. 2. *Vitemus oculos hominum, ſi linguas minus facile poſſumus.*

Tertia denique eſt, cum finis, cujus cauſſa aliquid fit, pro ipſa actione uſurpatur, ut in Terentiano illo Adelph. V. 1.

. . . *Si mens eſſes* . . . .
. . . . . . *exemplum omnibus*
Curarem ut eſſes.

Cujus loci ſententia eſt: Ita in te animadverterem, ut omnes ex te exemplum caperent.

2. Metonymia effecti eſt, cum effectus pro cauſſa ponitur:

Digitized by Google

tur: quo pacto ab Horatio I. Od. 9. *canities* pro ſenectute:

Donec virenti canities abeſt

Moroſa.

Ita etiam *ſcelus* dicitur pro ſceleſto, *crimen* pro reo. Ter. And. III. 5.

Ubi illic ſcelus eſt, qui me perdidit?

Et Virg. II. Aen. 65.

Accipe nunc Danaum inſidias, & crimine ab uno

Diſce omnes.

ubi *crimen*, ut nonnullis placet, pro Sinone eſt poſitum.

Hinc paſſim poetae epitheta ab effectis ad cauſſas transferentes *pallentes morbos*, *triſtem ſenectutem*, *frigidam mortem*, & mille id genus alia dicunt. A quo ipſo nec oratores omnino abhorrent, quibus *praeceps ira*, *ſegne otium*, aliaque nonnulla ejuſmodi ſatis ſunt familiaria.

3. Metonymia τοῦ Ὑποκειμένου (*Subjecti*) ad tria etiam capita revocatur.

Primo igitur ea exſiſtit, cum aut res aliqua pro habitu, vel qualitate inhaerente accipitur; ut *cor* pro ſapientia, *cerebrum* pro mente, *frons* vel *os* pro pudore; quo pacto apud Hor. II. Serm. 3.

Putidius multo cerebrum eſt, mihi crede, Perilli.

aut cum locus, ubi aliquid agitur, pro actione ipſa uſurpatur; ut apud Cic. I. de Orat. 8. *Age vero, ne ſemper forum, ſubſellia, roſtra, curiamque meditere, quid eſſe poteſt*, &c. aut etiam cum locus pro re ibi concluſa, vel perſonis cum incolentibus adhibetur; ut in illo Maronis I. Georg. 9.

Poculaque inventis Acheloia miſcuit uvis.

Et in Horatii I. Epiſt. 1. vicus Jani pro feneratoribus ibidem commorantibus ponitur:

. . . . *Haec Janus ſummus ab imo*

Perdocet.

Fit deinde id metonymiae genus, quo de agitur, cum vel poſſeſſor ſumitur pro re poſſeſſa; ut apud Virgil. II. Aen. 311.

. . . . *Jam proximus ardet*

Ucalegon:

pro Ucalegontis domo: vel Numen pro re, cui praeeſt; ut in illo Flacci I. Od. 1.

. . . . *Manet ſub Jove frigido*

Venator.

vel dux pro exercitu; ut cum dicitur *Scipio Numantiam & Carthaginem evertiſſe*.

Tertio, cum lucubrationis argumentum pro ipſa lucubra-

bratione accipitur. Hinc Lucanus Lib. IX. de ſuo poemate res apud Pharſaliam geſtas enarrante inquit:

. . . . Pharſalia noſtra
Vivet, & a nullo tenebris damnabitur aevo.

Quo etiam referri poſſe videtur illud aliud genus, per quod ſimulacro nomen perſonae, vel rei per ipſum expreſſae tribuitur; ut apud Virgil. III. Ecl. 46.

Orpheaque in medio poſuit, ſilvaſque ſequentes.

4. Metonymia adjuncti eſt, vel cum contentum ponitur pro continente, ut *vina coronant* I. Aen. 728. pro pateras: vel cum ſignum pro ſignificato, ut *faſces* pro magiſtratu, *ſceptrum* pro regno, *toga* pro pace: vel cum nomen pro re, ut *nomen Latinum* pro Latinis; *nomen Volſcum* pro Volſcis: *Ita per ſe ipſum nomen Caeninum in agrum Romanum impetum facit*, Liv. I. 10.: vel cum tempus pro eo, quod ad ipſum ſpectat, ut *vae aetati tuae*, Plaut. Stich. IV. 2. pro tibi, *hujus ſaeculi inſolentia*, Cic. IX. Philip. 6. ſcilicet hominum hujus ſaeculi.

Ad hanc denique metonymiam revocari ea ratio ſolet, qua virtus, aut quivis habitus animi pro perſona ponitur ipſis affecta. Cic. I. de Orat. 52. *Virtus . . . . & ſemper & ſola libera eſt, quae, etiam ſi corpora capta ſint armis, aut conſtricta vinculis, tamen ſuum jus atque omnium rerum impunitam libertatem tenere debeat.*

Hoc autem tropo, cujus tam varia & multiplex eſt acceptio, non niſi parce admodum uti decet, in ſoluta praeſertim oratione; cui ea tantum metonymiae genera danda ſunt, quae apud optimos exſtant auctores.

SYNECDOCHE

Quae eſt *comprehenſio*, Auctori ad Herenn. IV. 33. appellatur *intellectio*, quoniam per eam *res tota*, ut inquit, *parva de parte cognoſcitur, aut de toto pars*: re enim vera fit, cum aut pars pro toto, aut totum pro parte uſurpatur. Totum autem in tria genera dividitur, cum unum poteſtate quadam contineat partes; alterum conſtet e partibus, quae ad ejus ſubſtantiam pertinent; tertium e partibus conſletur ad quantitatem ſpectantibus (vulgo dicta *totum univerſale*, *totum eſſentiale*, & *totum integrale*). Unde eſt, ut tria etiam Synecdoches genera numerentur.

1. Jam totum, quod poteſtate, ut ajunt, continet partes, eſt e. g. Genus ratione formarum. Huc igitur ſpectat Synecdoche, cum vel genus pro forma ponitur; ut *mortales* pro

pro hominibus, *quadrupes* pro equo, *alloquium* pro ſolatio: vel cum forma adhibetur pro genere, ut *Eurus*, *Aquilo*, *Notus* pro quovis vento; *Sabellicus ſus* apud Virg. III. Georg. 256. pro quolibet ſue.

2. Totum porro, cujus partes ad ſubſtantiam referuntur, illud eſt, quod conſtat ex materia & forma. Quare ſi ejuſmodi totum pro alterutra parte ponatur, vel contra, alterum Synecdoches genus erit. Ex hoc igitur aliquando *homo* accipitur pro corpore; ut cum Palinurus VI. Aen. 362. de ſuo corpore loquens ait:

Nunc me fluctus habet, verſantque in litore venti.

Contra vero pro homine nonnunquam vel *corpus* uſurpatur, ut apud Q. Curt. V. 23. Alexander ſuos alloquens duces de Dario: *In illo*, inquit, *corpore poſita eſt victoria noſtra*: vel *anima*, ut a Cic. XIV. Fam. 14. *Vos meae cariſſimae animae, quam ſaepiſſime ad me ſcribite*. Ejuſdemmodi eſt illud Horatii I. Serm. 5.

. . . . . *Animae, quales neque candidiores*
Terra tulit, neque queis me ſit devinctior alter.

Huc illa etiam ſpectant, *ferrum* pro gladio, vel vomere; *argentum* pro pecunia, vel vaſis; *cornu* pro laterna, aut arcu; *oſtrum* pro veſte, aut ſtragulo; *ſerta* pro floribus, &c. licet haec ipſa alii per metonymiam materiae dicta crediderint.

3. Totum denique, cujus partes ad quantitatem pertinent, eſt e. g. Domus, Urbs &c. Atque hinc tertia Synecdoches ratio naſcitur, per quam *ultima*, *media*, *prima urbs* dicitur pro ultima, media, prima urbis parte; *elephantus* pro ebore, III. Georg. 26. *fontem ferre*, XII. Aen. 119. *Ararim*, aut *Tigrim bibere*, I. Ecl. 63. i. e. aquam inde deſumtam; *ſpargier agno*, Hor. IV. Od. 11. pro agni ſanguine. Rurſus autem *puppis*, aut *carina* ſaepiſſime pro navi adhibetur; *caput* pro homine; *tectum* pro domo.

Ad hoc quoque genus revocatur Synecdoche numeri, cum vel ſingularis ſumitur pro plurali; ut apud Livium ſaepe, *Romanus praelio victor* pro Romanis: vel pluralis pro ſingulari; ut pro Arch. 9. *Omnes denique illi Maximi, Marcelli, Fulvii non ſine communi omnium noſtrum laude decorantur*: vel certus pro incerto; ut, *O terque quaterque beati*! I. Aen. 98. i. e. pluries multumque; *tergemini honores*, Hor. I. Od. 1. pro plurimis maximiſque: vel numerus rotundus pro majore, aut minore; ut apud Romanos *Centumviri*, qui erant centum & quinque; & apud Virg. II. Aen. 198.

Non anni domuere decem, non mille carinae.

cum tamen Graeca claſſis centum octoginta ſex navibus ſupra mille conſtaret.

Hoc autem loco e re nata proderit animadvertere, non raro hanc Synecdochen ad numeros pertinentem ita ab oratoribus uſurpari, ut vel ſuas laudes cum auditoribus, vel horum vitia ſecum, vel aliquorum virtutes cum omnibus communicent: id quod & benevolentiam conciliat, & moleſtiam orationis avertit. Ita de ſe ipſo Cic. pro Arch. 11. *Quas res nos*, inquit, *in conſulatu noſtro vobiſcum . . . . geſſimus*, &c.

I r o n i a

Diſſimulatio, & *diſſimulantia* Ciceroni II. de Orat. 67. appellata, apud Quintilianum vero VIII. 6. *illuſio*, a Donato definitur: *Tropus per contrarium, quod conatur, oſtendens*. Unde autem intelligi poſſit, oſtendit idem Fabius ibid. cum inquit: *Ironia aut pronuntiatione intelligitur, aut perſona, aut rei natura. Nam ſi qua earum verbis diſſentit, apparet diverſam eſſe orationi voluntatem*.

Hinc facile eſt cognoſcere, ironiam eſſe illam Tulli I. in Catil. 8. *Ad ſodalem tuum, virum optimum, M. Marcellum demigraſti*. Nec porro aliter, quam ironice dictum accipi poteſt hoc pro L. Flacco 8. *Mirandum vero eſt, homines eos, quibus odio ſunt noſtrae ſecures . . . . libenter arripere facultatem laedendi, quaecumque detur*. Ubi etiam ironiae vim palam facit particula *vero*: quam & oſtendere ſolent hae aliae, *profecto*, *nimirum*, *ſane*, *videlicet*, &c.

C a p u t IV.

De Troporum formis.

Ad tropos hactenus enumeratos aliae quaedam ſpecies reducuntur. Ad Metonymiam enim pertinet Metalepsis: ad Synecdochen Antonomasia, & Litotes: ad Ironiam autem Euphemismus.

M e t a l e p s i s

Quae a Fabio VIII. 6. *tranſſumtio* vertitur, eſt cum vel conſequens ponitur pro antecedente, ut: *jubeo te ſalvere* pro volo, &c. *domum*, aut *urbem celebrare* pro frequentare: vel antecedens pro conſequente, ut: *benefacta ignorare* pro negli-

 gere,

gere, *auſcultare alicui* pro obedire.

In quibus certe ſingulis Metonymiae vel effecti, vel cauſſae adumbratam imaginem nemo non videt.

ANTONOMASIA

Ex ipſa vi nominis dicta ab Auct. ad Herenn. IV. 31. *pronominatio*, in eo conſiſtit, ut pro nomine proprio adhibeatur aut patronymicum; ut *Priamides* pro Hectore, *Anchiſiades* pro Aenea: aut gentile, ut *Arpinas* pro Cicerone, vel Mario: aut ab aliqua perſonae qualitate deſumtum; ut apud Tullium pro Muren. 29. *fortiſſimi viri ſenior magiſter* dicitur Chiron praeceptor Achillis: aut ab eo, quod in illa praecipuum eſt; ut *Princeps Romanae eloquentiae* pro Tullio, *Poeta* pro Virgilio, *Carthaginis everſor* pro Scipione.

Merito igitur Antonomaſia ad Synecdochen tamquam forma refertur; ſiquidem per eam quod nomen multis eſſet commune, uni tribuitur.

LITOTES

Cui *tenuitatis* notio ſubeſt, ea de cauſſa ſic appellata fuit, quod contrario & negatione minus oſtendit, quam reapſe ſignificet; quo quidem Synecdoches non obſcuram ſpeciem prae ſe fert, cum quamdam veluti partem pro toto exhibeat. Ita apud Hor. I. Epiſt. 7.

Non inviſa feres pueris munuſcula parvis.

i. e. gratiſſima. Et I. Od. 28. non alio Pythagoram, quam hoc, commendat elogio:

. . . . . . *Non ſordidus auctor*
Naturae, verique.

Quo pacto Tullius in Bruto Cottam, quem *ſummum* dixerat *oratorem*, appellat inde *minime ineptum*.

EVPHEMISMVS

Quem *bonam appellationem* recte dixeris, eſt cum res ingrata verbis minime ingratis exprimitur, ut propterea Ironiae ſpecies eſſe videatur. Hac ſane de cauſſa Pontus, olim *ἄξενος* (*inhoſpitalis*) dictus, poſtea *εὔξεινος* (*bene-hoſpitalis*) audiit. De quo Ovid. III. Triſt. 13.

Dum me terrarum pars paene noviſſima Pontus,
Euxinus falſo nomine dictus, habet.

Ita etiam in ſacris *mactare κατ' εὐφημισμόν* dicebatur pro inter-

terficere, *adolere* pro cremare, *altera avis*, non autem infelix, quae ſiniſtri aliquid portendiſſet. De morte quoque loquentes εὐφημισμῷ utebantur: quare & illam *abitionem* dicebant, & mortuos *abiiſſe*, *receſſiſſe*, *vixiſſe*, *fuiſſe*. Quo ſpectat hoc Tibulli III. Eleg. 4.

Vivite felices, memores & vivite noſtri,
Sive erimus, ſeu nos fata fuiſſe velint.

In ipſis denique imprecationibus ejuſmodi loquendi ratio locum obtinuit; ut *vivere*, aut *valere*, pro abire in malam crucem. Hoc ſenſu accipitur a Virg. VIII. Ecl. 58.

Omnia vel medium fiant mare, vivite ſilvae.

Et a Cic. XVI. ad Att. 15. *Quare iſta valeant; me res familiaris movet.*

C a p u t V.

De Troporum affectionibus.

Cum de quatuor praecipuis Tropis, eorumque formis hactenus viſum ſit, ſupereſt ut de quatuor ipſorum Affectionibus videamus: quae ſunt Allegoria, Catachresis, Hyperbole, & Emphasis. Quare autem hac eas appellatione deſignare Rhetoribus placuerit, id vero e mox dicendis ultro ſe prodet.

A l l e g o r i a

Inde ſuum ſortita eſt nomen, quod ἄλλο ἀγορεύει (*aliud dicit*) & aliud intelligendum continet. Definitur autem: *Modificatarum vocum continuatio*: fit enim, cum e reliquis tropis praecipue metaphora longius protenditur; ut in hoc Tullii loco pro Quint. 2. *Ita fit, ut ego, qui tela depellere, & vulneribus mederi debeam, tum id facere cogar, cum etiam telum adverſarius nullum jecerit.*

Atque in allato quidem exemplo nil niſi translatum eſt. Saepe tamen majoris claritatis gratia aliquid proprii intermiſceri ſolet; ut pro Mil. 1. *Equidem ceteras tempeſtates & procellas in illis dumtaxat fluctibus concionum ſemper putavi Miloni eſſe ſubeundas*: ubi vox *concionum* conſulto appoſita, quo tota allegoria referatur, maniſeſte declarat.

In hoc autem genere illud elegantius cenſetur, ſi allegoria & ſimilitudine aliqua, aut comparatione deducatur. Ejuſmodi eſt haec Tullii pro Muren. 2. *Quod ſi portu ſolventibus*

ii, qui jam in portum ex alto invehuntur, praecipere ſummo ſtudio ſolent & tempeſtatum rationem, & praedonum, & locorum, quod natura affert, ut eis faveamus, qui eadem pericula, quibus nos perfuncti ſumus, ingrediuntur: quo tandem me animo eſſe oportet, prope jam ex magna jactatione terram videntem, in hunc, cui video maximas reipublicae tempeſtates eſſe ſubeundas?

Illud vero accuratiſſime ſervandum eſt, quod monet Fabius VIII. 6. ut allegorica oratio in uno eodemque translationis genere perſiſtat, atque unde exorſa eſt, eodem deſinat: *Multi enim*, inquit, *cum initium a tempeſtate ſumſerunt, incendio, aut ruina finiunt*; *quae eſt inconſequentia rerum foediſſima*.

Jam porro ad allegoriam referuntur (1) Apologus, (2) Fabula, (3) Aenigma, & (4) Proverbium.

1. Apologus a Julio Scalig. Poet. I. 57. ita appellatus creditur, quaſi ἀπὸ λόγου λόγος, quippe qui aliud diſerte dicat, aliud tacite ſignificet. Jure itaque definitur: *Narratio ficta de re aliqua, ex qua quidpiam ad humana commoda deſignatur*: cujuſmodi ſunt Apologi, qui Aeſopi nomen inſcriptum praeferunt.

Non exiguam vero vim ad res ſive declarandas ſive ſuadendas apologis ineſſe, oſtendunt complura in quolibet argumenti genere veterum exempla. Ita Joatham Judic. IX. 8. & ſeqq. ut Sichimitis impiam caedem, per quam Abimelecho imperium detulerant, exprobraret, apologo de arboribus regem ſibi quaerentibus uſus eſt. Et Menenius Agrippa apud Liv. II. 32. ficta de humanis membris a ſtomacho diffidentibus narratiuncula plebem Romanam a Patribus ſejunctam ad ſaniora ſtatim conſilia, atque in urbem revocavit.

Huc pertinent etiam Parabolae; niſi quod hae, ſecus ac Apologi, ejuſmodi e rebus conflatae ſunt, quae ſi minus acciderunt, reapſe tamen evenire potuerunt. Hujus quidem ſunt generis, at divinam plane ſapientiam ſpirantes, quibus Redemtor noſter inter mortales agens ad ſuam doctrinam populis tradendam uti conſuevit.

2. Fabula eſt: *Oratio ficta, relata ad veritatem*: ob quam ſuam a veritate originem praecipue differt ab apologo. Quamquam enim non paucae e fabuloſis narrationibus omnino nec caput, quod dicitur, nec pedes habent, & nonniſi meris inaniis refertae ſunt; exploratum tamen eſt, plurimas earum quaſi quibuſdam involucris idonea ac ſeria rerum obtegere: de quo fuſius, cum de re poetica ſermo erit. Utuntur autem aliquando fabulis oratores, praeſertim ad rem aliquam ſimili-

tu

tudine illuſtrandam: quod factum a Tullio pro Leg. Manil. 9. atque aliis in locis.

3. Aenigma porro: *Sententia latentis ſenſus*: quale hoc a Samſone propoſitum Judic. XIV. 14. *De comedente exivit cibus, & de forti egreſſa eſt dulcedo*. Id autem genus locum in proſa oratione non habet: quod vix nonnunquam in epiſtolas invectum eſt, ut a Cicerone in aliquot ſuas ad Atticum, ne ſcilicet ab aliis, quam ab amico, intelligerentur.

4. Proverbium denique eſt: *Sententia ob auctoritatem ſuam paſſim uſurpata*; ut: *Clavus clavo truditur*: *Frons occipitio prior*.

CATACHRESIS.

A Tullio in Orat. 27. vocata *abuſio*, fit cum vocis alicujus ſignificatio durius ad alienam deflectitur: qua ratione olim & ſervi, devexa licet aetate, *pueri* dici conſueverunt; & amici cognatique *domini*; & quovis capitali crimine obſtricti, *parricidae*. Virg. VI. Aen. 301.

Et ferruginea ſubvectat corpora cymba.

ubi *καταχρηστικῶς corpora* pro animas.

Etſi autem catachreſi tum poetae, tum oratores utuntur, illud tamen inter utroſque intereſt, quod illi & frequentiores & audaciores in ea uſurpanda ſint; hi vero non ferme, niſi neceſſitate cogente, ad eam adhibendam adducantur. Quos tamen ipſos inficiandum non eſt, aliquando etiam, ubi neceſſe non ſit, abuti vocibus; ut cum, praeter cetera, *navim*, vel *claſſem aedificare*, aut *malum aliquod ſperare* malunt dicere, quam alias maxime proprias locutiones ſequi.

Jam vero id in hoc genere peculiare oratoribus eſt, ut modum ſervare ſtudeant; & ubi catachreſin aliquam duriuſculam animadverterint, quopiam adhibito dicendi modo emolliant. Ita Cic. I. de Legg. 16. *Nec arboris, nec equi virtus, quae dicitur (in quo abutimur nomine) in opinione ſita eſt, ſed in natura*.

HYPERBOLE.

Quae Ciceroni III. de Orat. 53. *veritatis ſuperlatio* dicitur, ab eodem in Top. 10. hoc pacto definitur: *Quae aliquid, quod fieri nullo modo poſſit, augendae rei gratia dicit, aut minuendae*. Id igitur ei proprium eſt, ut ſive amplificando, ſive extenuando fidem ſemper excedat.

Jam augentis hyperboles exemplum ſit hoc ejuſdem Tul-

lii pro Muren. 17. *Quod enim fretum, quem euripum tot motus, tantas, tam varias habere putatis agitationes fluctuum, quantas perturbationes & quantos aeſtus habet ratio comitiorum?* Atque illud Maronis de Aenea ad ſingulare certamen contra Turnum deſcendente XII. Aen. 699.

. . . . *Opera omnia rumpit*
Laetitia exſultans, horrendumque intonat armis.
Quantus Athos, aut quantus Eryx, aut ipſe coruſcis
Cum fremit ilicibus quantus, gaudetque nivali
Vertice ſe attollens pater Apenninus ad auras.

Ac de eodem ferientе ibid. 921.

. . . . *Murali concita nunquam*
Tormento ſic ſaxa fremunt, nec fulmine tanti
Diſſultant crepitus: volat atri turbinis inſtar
Exitium dirum haſta ferens, &c.

Minuens vero hyperbole occurrit apud eumdem poetam III. Ecl. 103. in illo de agnis macilentioribus:

. . . . . *Vix oſſibus haerent.*

Et apud Juv. Sat. XIII. de Pygmaeorum praeliis:

. . . *Ubi tota cohors pede non eſt altior uno.*

Jure autem ac merito in troporum affectiones hyberbolem relatam eſſe, inde patet, quod & ipſa tamquam forma ac modificatio accidit tropis; ac tum certe metaphorae, ut ibi quis dux *fulmen belli* appellatur; tum metonymiae, ut ſi Nero dicatur *credulitate ipſa* (i. e. crudeliſſimo quovis) *crudelior*; tum ſynecdoche, ut *millies audivi* pro pluries; tum denique ironiae, ut ſi tardipes quiſpiam *ocyor Euro* vocetur.

Animadvertere poſtremo juvat, ſi quae *ὑπερβολικαὶ* locutiones nimio plus durae videantur, eas temperari oportere particulis *inſtar*, *prope*, *fere*, &c.

EMPHASIS.

Quae ſatis commode *efficacia* redditur, in eo multa eſt; ut e modificatis vocibus eas potiſſimum in orationem inducat, quae vehementiorem reliquis ſignificandi vim habent; qualia haec: *incendi ira*, *inflammari furore*, *de mente deturbari*, &c. Ita *ἐμφατικῶς* Cic. II. in Catil. 1. *Tandem aliquando, Quirites, L. Catilinam furentem audacia, ſcelus anhelantem, peſtem patriae nefarie molientem, vobis, atque huic urbi ferrum flammamque minitantem, ex urbe vel ejecimus, vel emiſimus*, &c.

Verum ſaepe etiam nativae ipſae locutiones ita per emphaſim comparantur, ut longe plus ſignificent, quam per ſe quirent declarare. Hoc pacto Virg. II. Aen. 260. ut Troja-

ni

ni equi altitudinem vel tacitus exaggeraret, inquit:

. . . . . Cavo ſe robore promunt
Tiſandrus, Sthenelusque duces, & dirus Ulyſſes
Demiſſum lapſi per funem.

Et III. 630. de Polyphemo:

Cervicem inflexam poſuit, jacuitque per antrum
Immenſus.

Caput VI.

De Schematis Verborum.

Schemata, quae ſunt ornamenta, &, prout ipſius nominis indicat notio, quidam veluti habitus ſermonis, non certe troporum inſtar in eo ſunt poſita, ut inſitam vocabulis ſignificationem ad aliud quidpiam traducant, ſed ut novum decorem afferant orationi. In duo autem genera dividuntur, cum alia ſint ſchemata verborum, alia ſententiarum: quorum illa quidem commutatis vocibus, aut ipſarum inverſo ordine plerumque diſpereunt; haec vero in quolibet verborum genere ac ſtructura ſemper eadem permanent. De utriſque jam nobis agendum, ac primum de ſchematis verborum.

Haec autem ipſa, utpote multiplicis variique generis, quatuor potiſſimum rationibus parantur, ſcilicet detractione, adjectione, repetitione, & ſimilitudine. Nos igitur, ut tironum memoriae fiat ſatis, eadem in totidem diſtributa claſſes ſingula ſuo ordine perſequemur, illis omnibus, quae ad hunc numerum revocari nequeant, in extremum locum amandatis.

Schemata verborum orta e detractione.

Quae e verbi alicujus detractione oriuntur ſchemate, ea profecto ſunt Ellipsis, & Asyndeton.

Ellipsis, quae & Eclipſis dici ſolet, eſt dictionis ad ſententiae integritatem neceſſariae *praetermiſſio*. Ea ſic utitur. Cic. I. de Orat. 56. *Tum ille fidenter, homo peritiſſimus, confirmare, ita ſe rem habere, ut reſpondiſſet: nec dubium eſſe poſſe*. Et Virg. I. Aen. 373.

. . . . . . Sed vos, qui tandem? . . .

Id autem genus non minime inſervire ſolet affectibus; ut apud eumdem Tullium V. in Verr. 25. *Hunccine hominem? hanccine impudentiam, hanccine audaciam? civitatibus pro numero militum pecuniarum ſummas deſcribere? certum pretium, ſex-*

ſexcentenos nummos, nautarum miſſioni conſtituere?

Asyndeton (i. e. *diſſolutum* & *inconnexum*) oritur, cum orationis partes nullis conjunctionum vinculis colligantur: id quod ad emphaſim confert, atque expeditum concitatumque efficit dicendi genus. Tale hoc apud Virg. IX. Aen. 37.

Ferte citi ferrum, date tela, ſcandite muros.

Et illud Tullii pro Arch. 7. *Haec ſtudia adoleſcentiam alunt, ſenectutem oblectant, ſecundas res ornant, adverſis perfugium & ſolatium praebent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiſcum, peregrinantur, ruſticantur.*

SCHEMATA VERBORUM EX ADJECTIONE

Quoniam ejuſmodi nonnunquam voces, quas plane neceſſe non foret, orationi adjicere in more eſt poſitum; hinc duo alia exſtitere ſchemata, Pleonasmus, & Polysyndeton.

Pleonasmus, ellipſi e regione oppoſitus, a πλεονάζομαι (*redundo*) nomen ſibi deſumſit; quippe cum e ſupervacanei alicujus verbi additione enaſcatur. Videre id licet in hoc Virg. I. Aen. 618.

. . . . *Sic ore locuta eſt,*

Et VI. 76.

. . . . *Finem dedit ore loquendi.*

Quamquam autem ejusmodi ſchema, ubi adjecta dictio omnino orietur, nequeat non vitioſum eſſe ut monet Fabius VIII. 3. valde tamen illuſtre eſt & commendabile, cum quid vel emphaſis, vel venuſtatis continet. Hoc ſane pacto adhibetur ab eodem Virg. IV. Aen. 359.

. . . . *Vocemque his auribus hauſi.*

Et a Cic. Divin. in Verr. 6. *Tamen eos defendes, qui ſe ab omnibus deſertos potius, quam abs te defenſos eſſe malunt?* Ubi vox *potius* verbo *malunt* appoſita majorem vim, uti patet, pro rei gravitate addit orationi.

Polysyndeton, quo fit, ut ſermo pluribus quam opus eſſet, conjunctionibus colligatur; hoc praecipue praeſtat, ut quae dicuntur, multo plura & majora, quam reapſe ſint, eſſe videantur. Exemplo ſit illud Tullii pro Leg. Manil. 6. *Aſia vero tam opima eſt & fertilis, ut & ubertate agrorum, & varietate fructuum, & magnitudine paſtionis, & multitudine earum rerum, quae exportantur, facile omnibus terris antecellat.* Et 1. Off. 2 *Nulla enim vitae pars neque publicis, neque privatis; neque forenſibus, neque domeſticis in rebus; neque ſi* te-

tecum agas quid , neque ſi cum altero contrahas , vacare officio poteſt .

Schemata verborum e repetitione.

Cum multae admodum ſint rationes, quibus dicendo voces iterari ſolent, ab ea eſt cauſſa, quamobrem plurima repetitionis ſchemata in lucem prodierunt.

1. Itaque ſi vox eadem repetatur, at diverſa tamen ſignificatione, id ſchema dicitur Antanaclasis (h. e *reflexio*) quam Pedianus in Cic. Act. I. in Verr. 9. appellat *dilogiam*, quod per eam uno verbo duae res denotantur. Huc ſpectat illud Tullii VII. ad Att. 3. *Cauſſam ſolum illa cauſſa* (Caeſaris] *non habet, ceteris rebus abundat*. Item epigramma hoc apud Suet. in Ner. 36.

Quis neget Aeneae magna de ſtirpe Neronem?
Suſtulit hic matrem, ſuſtulit ille patrem .

Id ſane ſchematis genus, ubi per ſe veniat non coactum, multum venuſtatis affert orationi.

2. Si vero repetantur voces, forma quidem diverſae, ſed ſignificatione eaedem, ejuſmodi ſchema appellatur Synonymia (*nominis communio*) quae praecipue locum habet, ubi unum verbum non totam rei amplitudinem adaequare poſſe videtur. Cic. pro Muren. 1. *Eaque res vobis populoque Romano pacem, tranquillitatem , otium , concordiamque afferat;* & mox : *ea res fauſte , feliciter , proſpereque eveniret* . . Tum vero I. in Catil. 5. *Non feram , non patiar , non ſinam* . E quibus apparet , hanc figuram ad orationis vel magnificentiam , vel acrimoniam plurimum facere .

3. Ad idem confert non minimum Expolitio (Graecis dicta Ἐξεργασία) quae fit, cum plures ſententiae non diverſa deſignantes in unum idemque majoris ſignificationis gratia congeruntur . Eam ſic adhibet Idem I. in Catil. 10. *Heic tu qua laetitia perfruere , quibus gaudiis exultabis, quanta voluptate bacchabere?* Et Virg. I. Aen. 550.

. . . . *Si veſcitur aura*
Aetheria, nec adhuc crudelibus occubat umbris.

Verum tam Expolitio, quam Synonymia nec nimis crebro , nec niſi in rebus gravioribus ſunt adhibendae: ac praeterea videndum , ne in verbis ac ſenſibus nullam ne in ſpeciem quidem diverſitatem prae ſe ferentibus conſtituantur .

4. Jam porro ſi eadem omnino dictio , eodemque ſignificatu iteretur , varia inde ſchemata enaſcuntur . Cum enim in principiis fit repetitio, vocatur Anaphora (*relatio*) non mini-

minimae ipſa quidem vehementiae & gravitatis. Cic. I. in Catil. 1. *Nihil te nocturnum praeſidium Palatii, nihil urbis vigiliae, nihil conſenſus bonorum omnium, nihil hic munitiſſimus habendi ſenatus locus, nihil horum ora vultuſque moverunt?* Et II. in Verr. 10. *Verres calumniatores apponebat: Verres adeſſe jubebat: Verres cognoſcebat: Verres judicabat.*

In laudibus etiam non ultimus eſt huic figurae locus. Hinc ad Junonem Aeolus I. Aen. 83.

Tu mihi quodcumque hoc regni, tu ſceptra Jovemque
Concilias, tu das epulis accumbere divum.

Elegantius autem idem ſchema exiſtimatur, ſi vox aliquo pacto immutetur; ut pro Arch. 6. *pleni omnes ſunt libri, plenae ſapientum voces, plena exemplorum vetuſtas.*

5. Cum vero repetitio fit in clauſulis, appellatur EPISTROPHE (*converſio*) cui maxima etiam vis ineſt. Cic. II. Philip. 22. *Doletis tres exercitus populi Romani interfectos? interfecit Antonius. Deſideratis clariſſimos cives? eos quoque vobis eripuit Antonius. Auctoritas hujus ordinis afflicta eſt? afflixit Antonius.* Et Virg. X. Ecl. 75.

Surgamus: ſolet eſſe gravis cantantibus umbra:
Juniperi gravis umbra: nocent & frugibus umbrae.

6. Quod ſi fiat repetitio in principiis ſimul & clauſulis, dicitur COMPLEXIO (Graecis Συμπλοκή) quippe cum anaphoram & epiſtrophen complectatur: nec ſecus, atque hae duae, maximi eſt momenti ad urgendum, ad affectus ciendos, ad virtutes vitiaque amplificanda. Eam non ferme, niſi interrogando, adhibent oratores: quo pacto Tullius II. de Leg. Agrar. 9. *Quis legem tulit? Rullus. Quis majorem partem populi ſuffragiis privavit? Rullus. Quis comitiis praefuit? Rullus. Quis tribus, quas voluit, vocavit, nullo cuſtode ſortitus? quis decemviros, quos voluit, renuntiavit? Idem Rullus.*

7. Nonnunquam porro quae dictio principium praecedentis ſententiae occupat, eadem in ſequentis fine reponitur: idque figurae genus appellatur EPANALEPSIS (*iteratio*). Cic. pro Marcel. 6. *Vidimus tuam victoriam praeliorum exitu terminatam: gladium vagina vacuum in urbe non vidimus.* Et Ovid. II. Faſt.

Una dies Fabios ad bellum miſerat omnes:
Ad bellum miſſos perdidit una dies.

8. Cum autem rurſus in praecedentis ſententiae fine, & initio ſequentis vox eadem collocatur, id ſchema dicitur ANADIPLOSIS (*conduplicatio*). Cic. pro Planc. 8. *At in quemcumque Arpinatem incideris, etiam ſi nolis, erit tamen tibi fortaſſe de nobis aliquid, aliquid & de C. Mario audiendum.*

Et

Et Virg. VIII. Ecl. 55.

Certent & cycnis ululae : ſit Tityrus Orpheus ,
Orpheus in ſilvis, inter Delphinas Arion .

Hoc vero genus cum per ſe ipſum ſuavitatem continet & emphaſim, tum vero in primis acre eſt, ſi cum correctione conjungatur. Tale hoc Tullii I. in Catil. 1. *Senatus haec intelligit, conſul videt : hic tamen vivit . Vivit ? imo vero etiam in ſenatum venit.*

9. Ad haec cum vocis iteratio continua eſt, vocatur EPIZEVXIS (*conjunctio*) quae orationis vehementiae, atque exprimendis affectibus inſervit plurimum. Cic. pro Ligar. 5. *Si in hac tanta tua fortuna lenitas tanta non eſſet , quantam tu per te , per te , inquam , obtines . . . . . . acerbiſſimo luctu redundaret iſta victoria .* Ita etiam Virg. V. Aen. 190.

. . . . . . Nunc , nunc inſurgite remis ,
Hectorei ſocii .

10. Si vero verbum aliquod ita ex una ſententia in alteram trajicitur ; ut quaſi per quoſdam gradus ad conſequentia transgreſſus fiat , aliud inde ſchema exſiſtit GRADATIO (Graec. Κλίμαξ) nuncupatum. Ad ipſum illuſtrandum Auct. ad Herenn. IV. 25. hoc inter alia affert exemplum : *Non ſenſi hoc , & non ſuaſi : neque ſuaſi , & non ipſe ſtatim facere coepi : neque facere coepi, & non perfeci : neque perfeci, & non probavi.* Ejus autem vis ſatis elucet in illo pro Quint. 12. *Si debuiſſet , Sexte , petiſſes ſtatim ; ſi non ſtatim , paullo quidem poſt ; ſi non paullo , at aliquando .*

11. Denique ubi geminatur dictio variatis caſibus, numeris, perſonis, &c. TRADUCTIO nuncupatur (Graec. Πολύπτωτον, *multifariam cadens*). Cic. II. in Catil. 8. *Sed cur tamdiu de uno hoſte loquimur , & de eo hoſte, qui jam fatetur ſe eſſe hoſtem* , &c. Et Virg. X. Aen. 360.

Haud aliter Trojanae acies, acieſque Latinae
Concurrunt : haeret pede pes ; denſuſque viro vir .

SCHEMATA VERBORUM E SIMILITUDINE.

Praeter hactenus recenſita ſchemata, quorum aliunde alia profecta ſunt, e ſimilitudine etiam, qua nonnihil delectantur oratores, tria duxere originem, ANNOMINATIO, SIMILITER CADENS, & SIMILITER DESINENS ; de quorum natura heic paucis : nam ſi quid aliud eſt huc revocari ſolitum , cujus cognitio ex uſu tironum ſit , de eo alibi a nobis mentio injicietur .

Annominatio (Graec. Παρονομασία) in eo ſita eſt, ut e dictionibus forma quidem ſimilibus, at ſignificatione omnino diverſis arguta aliqua ſententia eliciatur. Cic. II. ad Quint. Fratr. 10. *Tu metuis , ne me interpelles? . . . . Tu vero ut me & appelles , & interpelles , & obloquare , & colloquare velim*. Et XI. Philip. 14. *Paratum habet imperatorem* C. *Caſſium*, P. C., *reſp. contra Dolabellam*; *nec paratum ſolum , ſed peritum atque fortem* . Minutius item apud Liv. XXII. 30. *Plebiſcitum* , inquit, *quo oneratus magis , quam honoratus ſum , primus antiquo abrogoque*.

In hoc autem illud accurate ſpectari neceſſe eſt , ne ex hujuſmodi verborum quodam veluti conflictu ea enaſcantur acumina , quae in putidam aliquam inſulſitatem evadant.

Similiter cadens (Graec. Ὁμοιόπτωτον) illud ſchema nuncupatur , quo diverſa periodi cola , vel commata ſimilibus ſive caſibus ſive temporibus clauduntur . Huc pertinet illud Tullii pro Roſc. Amer. 26. *Quid tam commune , quam ſpiritus vivis , terra mortuis , mare fluctuantibus , litus ejectis ?* Et pro Leg. Manil. 12. *Ita tantum bellum . . . . Cn. Pompejus extrema hieme apparavit , ineunte vere ſuſcepit , media aeſtate confecit*.

Hoc autem figurae genus non ad voces modo in fine, ſed in medio etiam, vel in principio poſitas attinet. In quam rem id exemplum profertur a Fabio IX. 2. *Amiſſo nuper infelicis aulae , ſi non praeſidio inter pericula , tamen ſolatio vitae inter adverſa* .

Jam vero cum dictionum ſingulas periodi particulas concludentium non diverſus eſt ſonus , aliud inde enaſcitur ſchema . Similiter desinens (Graec. Ὁμοιοτέλευτον) nuncupatum . Uſurpat id Cic. pro Marcel. 7. *Omnes enim qui fuerunt , aut ſua pertinacia vitam amiſerunt , aut tua miſericordia retinuerunt* . Quod tamen ſi ſaepius fiat , nihil eſſe poterit injucundius ineptiuſque , cum & ſatietatem pariat, & puerilem quamdam prae ſe ferat levitatem : id quod maxime peccarunt incultarum illi aetatum ſcriptores, qui vera elocutionis ornamenta cum falſis commutarunt , ac praecipue qui leoninis verſibus delectati ſunt.

Alia Quaedam Schemata Verborum

Poſt explorata figurarum genera , quas detractio , adjectio, repetitio, ac ſimilitudo in orationem invexere, reliquum eſt , ut paucas quaſdam alias curſim perſequamur , quas, utpote ab illarum ratione longius abeuntes , hoc ſeorſum

ſum conjiciendas eſſe credidimus.

1. Earum autem prima prodeat TMESIS (*diviſio*) per quam vox compoſita alterius vocis interjectione dividitur. Hac de cauſſa *quod judicium cunque* pro *quodcumque* legitur apud Tullium pro Sext. 31. *Septem ſubjecta trioni* pro *Septentrioni* apud Virg. III. Georg. 381. *hac celebrata tenus* pro *hactenus* V. Aen. 603. *quando conſumet cunque* pro *quandocunque* apud Hor. I. Serm. 9. & vulgo ejuſdem generis non pauca.

Juvat tamen hic animadvertere, ejuſmodi ſchema neque in univerſis compoſitis dictionibus, neque vero unquam in non compoſitis locum habere. Neque enim imitatione ulla ſunt digni ſi qui hanc ſibi aliquando poteſtatem vindicarunt, ut e reliquis Ennius VI. Annal apud Calphurn. Piſonem:

. . . . Telo
Transfigit corpus, ſaxo cere comminuit brum.

pro *cerebrum*.

2. Jam vero aliquid tmeſi majus efficit figura alia, quam non temere appellare queas VNVM PER DVO, quippe quae Graece dicatur *Ἓν διὰ δυοῖν*. Haec enim non quidem voces, ſed res ipſas bifariam diſpeſcit: id quod vel ornatus, vel amplificationis gratia fieri ſolet. Hujus rationis eſt illud Virg. III. Georg. 56.

Nec mihi diſpliceat maculis inſignis, & albo.

h. e. maculis albis. Et I. Aen. 66.

Hoc metuens molemque, & montes inſuper altos
Impoſuit.

h. e. molem montium. Item III. Aen. 222.

. . . . Ipſumque vocamus
In praedam partemque Jovem.

ſcilicet in partem praedae. Queis locutionibus ſimiles paſſim aliae occurrunt.

3. Tmeſi porro aliqua ex parte opponitur HYPHEN (*ſubunio*) quod praeſtat, ut duo verba veluti in unum coaleſcant: id quod certis tantum quibuſdam particulis uſuvenit, ut *ſemper*, *ante*, *retro*. &c. Terent. Andr. I. 2.

. . . . Heri ſemper-lenitas
Verebar quorſum evaderet.

Nec diſpari modo Virg. I. Aen. 202.

. . . . . Neque enim iguari ſumus ante-malorum.

Ita etiam in Inſcript. apud Grut. CCLXXXI. 4. & CCLXXXIII. 11. *retro-principes*.

4. Jam in hunc ſchematum numerum referendam ſe offert INTERJECTIO, quae quidem cum id denotat, quod apud Grae-

Graecos Παρένθεσις, tum in eo eſt poſita, ut aliquid a re, qua de agitur, plane alienum inferat orationi. Cic. pro Arch. 8. *Quoties ego hunc Archiam vidi, judices (utar enim veſtra benignitate quoniam me in hoc novo genere dicendi tam diligenter attenditis) quoties ego hunc vidi*, &c.

At ſi illa ipſa eo ſenſu, quo a Graecis Παρεμβολὴ accipiatur, tum vero efficit, ut quidpiam ad rem ſpectans, ſcilicet cauſſa aliqua aut circumſtantia orationi interponatur: quod ſane multo eſt elegantius quam ſi haec eadem alio rejiceretur. Exemplo eſto hoc I. Aen. 735.

Jupiter, hoſpitibus nam te dare jura loquuntur,
Hunc laetum Tyriiſque diem Trojaque profectis
Eſſe velis.

Ac de figuris verborum tantum: ad ſententiarum nunc ſchemata veniamus.

CAPUT VII.

De Schematis Sententiarum.

SINGVLARE quoddam ſchematis, de quibus agere inſtituimus, robur ineſſe non ad illuſtrandam modo orationem, ſed praecipue etiam ad delectandum, docendum, & commovendum pro certo apud Rhetores habetur. Unde eſt, ut ſubacti perfectique oratores iiſdem, tamquam optimo eloquentiae praeſidio, non minime uti conſueverint. Horum vero, praeteritis minoris pretii nonnullis, tria & viginti a nobis producentur, videlicet DIGRESSIO, TRANSITIO, APOSIOPESIS, PARALEPSIS, PERIPHRASIS, SERMOCINATIO, PROSOPOPOEIA, APOSTROPHE, COMMVNICATIO, HYPOTYPOSIS, ETHOPOEIA, DUBITATIO, SVSTENTATIO, CORRECTIO, CONFESSIO, CONCESSIO, PERMISSIO, OCCVPATIO, ANTITHETON, INTERROGATIO, SUBJECTIO, EXCLAMATIO, & EPIPHONEMA.

DIGRESSIO

A Quintiliano IV. 3. definitur: *Alienae rei, ſed ad utilitatem cauſſae pertinentis, extra ordinem excurrens tractatio.* Ea vero vel fit ad quaeſtionis univerſalis expoſitionem; de qua re actum nobis Lib. I. 2. qualis eſt Tullii pro Arch. 6. & ſeqq. ad artium liberalium laudes perſequendas: vel hiſtoriae narrationem, necnon perſonarum, temporum, locorum-

que

que deſcriptionem; cujuſmodi II. in Verr. 1. ad Siciliae decora & ornamenta enuntianda: vel denique ad affectuum commotionem; ut pro Roſc. Amer. 28.

Cavendum tamen eſt, ne digreſſio nimia longitudine peccet, praeſertim in orationis initio ac fine, neve a propoſito prorſus abſcedat; quod ſane vitium reprehendit Horatius in Art. poet. his verbis.

Inceptis gravibus plerumque, & magna profeſſis
Purpureus, late qui ſplendeat, unus & alter
Aſſuitur pannus, cum lucus & ara Dianae,
Et properantis aquae per amoenos ambitus agros,
Aut flumen Rhenum, aut pluvius deſcribitur arcus:
Sed nunc non erat his locus

Neque porro illud negligi debet, ut ita fiat a digreſſione reditus ad propoſitum, ut apte omnino oratio cohaereat. Tullius quidem cum Sexti Roſcii cauſſam agens ad narrationem de C. Fimbria divertiſſet, ſic poſtremo ad ſuum rediit inſtitutum: *Eſtne hoc illi dicto atque facto Fimbriae non ſimillimum?* Plura autem alia juſti regreſſus exempla apud eumdem alioſque invenies.

Transitio

Cum id maxime praeſtet, ut partes orationis in unum corpus coaleſcant, neque una ab alia ſejuncta diſtractaque videatur; tum vero amplificandae rei, atque auditorum animis arrigendis aptiſſima eſt.

Plures autem ſunt modi, quibus tranſitio fieri poſſit, nimirum vel per dubitationem: ut ſi dictum ſit de Chryſoſtomi eloquentia, tranſire poteris ad animi ejus virtutes dicendo: *At quid de virtutibus dicam, quae Chryſoſtomi animum mirifice condecorarunt?* vel per communicationem: *Quantum autem fuiſſe creditis, Auditores, virtutum ſplendorem, quo Dei Eccleſiam Chryſoſtomus illuſtravit?* vel per attentionis renovationem: *Hactenus Chryſoſtomi eloquentiam ſuſpexiſtis: agite nunc, mentis aciem ad incomparabiles ejus virtutes advertite.* vel per collationem ſuperiorum: *Jam vero ſi tanta Chryſoſtomi eloquentiae debetur laus, quantam ejus virtutibus impertiri neceſſe erit?* vel per complexionem: *Sed jam ſatis de eximia, qua Chryſoſtomus claruit, dicendi facultate; incredibilem nunc virtutum amplitudinem perluſtremus.* vel per dicendorum propoſitionem: *Aeſtimate, ſi poteſtis, Auditores, Chryſoſtomi virtutum praeſtantiam ſingularem.*

quidem, judices, exanimant & interimunt hae voces Milonis, quas audio aſſidue, & quibus interſum quotidie. Valeant, inquit, valeant cives mei, ſint incolumes, ſint florentes, ſint beati: ſtet haec urbs praeclara, mihique patria cariſſima, quoquo modo merita de me erit: tranquilla republica cives mei, quoniam mihi cum illis non licet, ſine me ipſi, ſed per me tamen perfruantur: ego cedam atque abibo. &c. Hoc autem genere, modo aptus cuique perſonae affingatur ſermo, plurima orationi fides conciliatur.

Jam vero Sermocinatio etiam dici ſolet, cum verus ſermo ſive unius, ſive plurium ab oratore refertur: quod tamen a ſchematis ratione longius abit, cum non niſi ſimplex quaedam narratio eſſe videatur. Exempla autem videri poſſunt apud Ciceronem pro Quint. 25. & pro Planc. 26.

Quod ſi orator ſecum ipſe interrogando viciſſim & repondendo, vel potius cum alio colloquatur, haec vero figura dicitur Dialogiſmus; qualis pro Quint. 13.

Prosopopoeia

Ficta perſonae inductio appellatur a Tullio III. de Orat. 53. quod per eam vel mortuis, quaſi adeſſent, vel rebus inanimis tamquam anima ſenſuque praeditis tribuatur oratio. Huc ſane facit exemplum Auctoris ad Herenn. 53. *Quod ſi nunc L. ille Brutus reviviſcat, & heic ante pedes veſtros adſit, non hac utatur oratione? Ego reges ejeci, vos tyrannos introducitis: ego libertatem, quae non erat, peperi, vos partam ſervare non vultis: ego capitis mei periculo patriam liberavi, vos liberi ſine periculo eſſe non curatis.* A Tullio vero I. Catil. 7. patria Catilinam alloquens hoc pacto inducitur: *Nullum jam tot annos facinus exſtitit, niſi per te: nullum flagitium ſine te: tibi uni multorum civium neces, tibi vexatio direptioque ſociorum impunita fuit ac libera: tu non ſolum ad negligendas leges & quaeſtiones, verum etiam ad evertendas perfringendaſque valuiſti.* &c.

E quibus facile erit intelligere, quantum ad amplificationem & affectuum commotionem hoc ſchema valeat.

Apostrophe

Eſt ſermonis converſio ab iis, ad quos ferebatur, ad alias perſonas, aut etiam ad res ſenſu carentes. Cic. pro Balbo 5. *O nationes, urbes, populi, reges, tetrarchae, tyranni, teſtes Cn. Pompeji non ſolum virtutis in bello, ſed etiam religionis in pace: vos denique mutae regiones imploro, & ſola terrarum ulti-*

ETHOPOEIA

Quam Tullius III. de Orat. 53. *morum ac vitae imitationem* vocat, in hominum moribus ingeniiſque deſcribendis vertitur: quod praecipue fit ad commovendos affectus. Eapropter Idem pro Quint. 18. ut judicis animum ſuo clienti conciliaret, ipſius vitae rationem ſic per ethopoeiam expoſuit: *Vixit enim* (Quintius) *ſemper inculte atque horride : natura triſti ac recondita fuit: non ad ſolarium, non in campo, non in conviviis verſatus eſt: id egit, ut amicos obſervantia, rem parſimonia retineret. antiquam officii rationem dilexit, cujus ſplendor omnis his moribus obſolevit.*

DUBITATIO & SUSTENTATIO.

In eo quidem Dubitatio poſita eſt, ut ſe pendentem animo quapiam de re oſtendat orator : quod plurimum confert ad rem exaggerandam, atque ad attentionem vehementius excitandam. Ita plane apud Virgilium Aeneas III. 37.

Tertia ſed poſtquam majore haſtilia niſu
Aggredior, genibuſque adverſae obluctor arenae;
(*Eloquar, an ſileam?*) *gemitus lacrymabilis imo*
Auditur tumulo.

Hoc autem ſchema plerumque conjunctam habet Suſtentationem, cujus eſt auditorum animos ſuſpendere; ut videre licet in ſubjectis exemplis. Utramque enim ſimul adhibuit Scipio apud Liv. XXVIII. 26. in concione ad milites seditioſos habita, ubi inquit: *Apud vos quemadmodum loquar, nec conſilium, nec oratio ſuppeditat; quos ne quo nomine quidem appellare debeam, ſcio, cives? qui a patria veſtra deſciviſtis, an milites? qui imperium auſpiciumque abnuiſtis, ſacramenti religionem rupiſtis, hoſtes? corpora, ora, veſtitum, habitum civium agnoſco; facta, dicta, conſilia, animos hoſtium video.* Eadem porro ratione Tullius pro Roſc. Amer. 11. *Quid primum querar? aut unde potiſſimum exordiar, judices? aut quod, aut a quibus auxilium petam? Deorumne immortalium, populine Romani, veſtramne, qui ſummam poteſtatem habetis, hoc tempore fidem implorem?*

CORRECTIO.

Ex Auctore ad Herenn. IV. 26. eſt, *quae tollit id, quod dictum eſt, & pro eo id, quod magis idoneum videtur, reponit.*

 Per

Per eam autem nonnunquam unum tantummodo verbum immutatur; ut a Tullio pro Ligar. 9. *Quae fuit igitur unquam in ullo homine tanta conſtantia? conſtantiam dico? neſcio an melius patientiam poſſem dicere*. Nonnunquam vero tota ſententia; ut ab eodem pro Mil. 8. *Sed ſtulti ſumus, qui Druſum, qui Africanum, Pompejum, noſmetipſos cum P. Clodio conferre audeamus.*

Huic profecto figurae multum ineſt roboris ad movendum, ut idem Auctor ad Herren. ſcite admonet; altius enim animos penetrat oratio, ſi commutato verbo electius aliud adhibeatur.

Confessio, Concessio, et Permissio.

Inter haec tria ſchemata, quae prima ſpecie prope eadem eſſe videntur, non parum certe intereſt diſcriminis. Confeſſio enim eſt, quae aliquid adverſario concedit quidem, ſed aliud inde ſubjicit, quo conceſſa maximopere debilitentur. Ita Cic. pro Ligar. 1. *Habes igitur, Tubero, quod eſt accuſatori maxime optandum, confitentem reum, ſed tamen ita confitentem, ſe in ea parte fuiſſe, qua te, Tubero, qua virum omni laude dignum, patrem tuum. Itaque prius de veſtro delicto confiteamini neceſſe eſt, quam Ligarii ullam culpam reprehendatis*.

Conceſſio vero dicitur, cum quidpiam, licet ab aequitate alienum, elargimur, ut reliquum obtineamus. Idem pro Roſc. Amer. 27. *Eſto: cauſſam* (parricidii) *proferre non potes. Tametſi ſtatim viciſſe debeo, tamen de meo jure decedam, & tibi, quod in alia cauſſa non concederem, in hac concedam, fretus hujus innocentia. Non quaero abs te, quare patrem Sex. Roſcius occiderit: quaero, quomodo occiderit.*

Permiſſio denique eſt, qua fieri aliquid permittitur; ita ut non in verbis, ſed in factis verſetur. Eam exhibet Sinonis ſermo II. Aen. 101.

Sed quid ego haec autem nequidquam ingrata revolvo?
Quidve moror? ſi omnes uno ordine habetis Achivos.
Idque audire ſat eſt, jamdudum ſumite poenas.

Ex quo vel uno exemplo ſatis patet, ejuſmodi ſchema ad excitandam miſericordiam eſſe maxime accommodatum.

Occupatio

Sive Prolepſis, eſt qua orator dicere occupat, ſimulque diluit, quae ſive ab adverſario, ſive ab auditoribus objici poſſent. Cic. pro Arch. 7. *Quaeret quiſpiam, quid? illi ipſi ſummi*

mi viri, quorum virtutes litteris proditae ſunt, iſtane doctrina, quam tu laudibus efferſ, eruditi fuerunt? Difficile eſt hoc de omnibus confirmare: ſed tamen eſt certum, quid reſpondeam.

Huic porro figurae non modo in confutationibus & probationibus locus eſt, verum in exordiis etiam; uti ſupra dictum eſt Lib. II. 1., & videre licet apud Cic. in prooem. pro Roſc. Amer.

Poſtremo quod ad nomen ipſum attinet, abs re non erit animadvertere, hoc ſchema, cum Occupatio appelletur, quatenus quae contra dici queant antevertit, quatenus vero refellit, Subjectionem nuncupari.

ANTITHETON.

Schema eſt, quo contraria contrariis opponuntur: ex qua quidem contentione fit, ut rei vel probandae veritas, vel extollendae magnitudo magis eluceat. Quamobrem Cicero, ut oſtenderet longe majorem dignitatem re militari, quam jure civili contineri, his antithetis adverſus Sulpicium uſus eſt pro Muren. 9. *Vigilas tu de nocte, ut tuis conſultoribus reſpondeas: ille ut eo, quo intendit, mature cum exercitu perveniat. te gallorum, illum buccinarum cantus exſuſcitat. tu actionem inſtituis: ille aciem inſtruit. tu caves, ne tui conſultores: ille ne urbes aut caſtra capiantur. Ille tenet & ſcit, ut hoſtium copiae, tu, ut aquae pluviae arceantur. Ille exercitatus eſt in propagandis finibus: tu in regendis.*

Ejuſdem porro figurae robur in ſua de continuando bello concione aptiſſime adhibet Appius apud Liv. V. 6. *Obſecro vos: venandi ſtudium ac voluptas homines per nives ac pruinas in montes ſilvaſque rapit: belli neceſſitatibus eam patientiam non adhibebimus, quam vel luſus ac voluptas elicere ſolet?*

Virgilius autem incredibilem tempeſtatis vim Trojanas naves jactantem uno tantum antitheto mirifice amplificat, cum inquit I. Aen. 110.

Hi ſummo in fluctu pendent; his unda dehiſcens
Terram inter fluctus aperit . . . .

INTERROGATIO, ET SUBJECTIO.

Non alia de cauſſa Interrogatio inter ſchemata recenſetur, quam quod ibi nonnunquam, ubi minime neceſſe foret, adhibeatur, ut ejus vi concitatus ſermo altius animos auditorum penetret. Ita Cic. I. Catil. 1. *Quouſque tandem abutere, Catilina, patientia noſtra? quamdiu etiam furor iſte tuus nos*

eludet? quem ad finem ſeſe effrenata jactabit audacia? &c. Item Virg. II. Aen. 43.

. . . . Quae tanta inſania cives?
Creditis avectos hoſtes? aut ulla putatis
Dona carere dolis Danaum? ſic notus Ulyſſes?

Non raro autem interrogationi ipſi ſubnectitur reſponſio, quae appellatur Subjectio, magni quidem & ipſa roboris ac ſplendoris. Cic. pro Leg. Manil. 21. *Quid tam novum, quam adoleſcentulum privatum exercitum difficili reipublicae tempore conficere? confecit. huic praeeſſe? praefuit. rem optime ductu ſuo gerere? geſſit. Quid tam praeter conſuetudinem, quam homini peradoleſcenti, cujus a ſenatorio gradu aetas longe abeſſet, imperium atque exercitum dari? Siciliam permitti atque Africam, bellumque in ea adminiſtrandum? fuit in his provinciis ſingulari innocentia, gravitate, virtute, bellum in Africa maximum confecit, victorem exercitum deportavit.*

EXCLAMATIO

Ut inquit Auct. ad Herenn. IV. 15. eſt, *quae conficit ſignificationem doloris, aut indignationis alicujus, per hominis, aut urbis, aut loci, aut rei cujuſpiam compellationem.* Cic. pro Quint. 25. *O rem incredibilem! o cupiditatem inconſideratam! o nuntium volucrem!* Et Virg. II. Aen. 241.

O patria! o Divum domus Ilium! . . . .

Sed praeterea ad commiſerationem etiam, atque admirationem uſurpari ſaepiſſime illa ſolet. Sic idem Tullius pro P. Sulla ſub finem: *O miſerum & infelicem illum diem, quo conſul omnibus centuriis P. Sulla renuntiatus eſt! o falſam ſpem! o volucrem fortunam! o caecam cupiditatem! o praepoſteram gratulationem!* Tum pro Ligar. 2. *O clementiam admirabilem, atque omni laude, praedicatione, litteris, monumentiſque decorandam!*

EPIPHONEMA

Quod a Fabio VIII. 5. definitur: *Rei narratae, vel probatae ſumma acclamatio*, eſt cum quae ante dicta ſunt, aliqua ad rem faciente ſententia concluduntur. Cujus figurae praeſtantia aperte cognoſcitur etiam ex hoc uno Ciceronis loco de Senect. 2. *Senectutem ut adipiſcantur, omnes optant: eamdem accuſant adepti. Tanta eſt inconſtantia ſtultitiae, atque perverſitas.* Non minus porro illuſtri epiphonemate uſus eſt Maro III. Aen. 53. cum de Polymneſtore loqueretur:

Ille,

Digitized by Google

Ille, ut opes fractae Teucrum, & fortuna receſſit,
Res Agamemnonias, victriciaque arma ſecutus,
Fas omne abrumpit: Polydorum obtruncat, & auro
Vi potitur. Quid non mortalia pectora cogis
Auri ſacra fames?

HACTENVS autem de variis tum verborum tum ſententiarum figuris. De quibus poſtremo monendum ſupereſt, earum uſum pro rerum ratione ita eſſe temperandum, ut non niſi ubi & quomodo cauſſa jubeat, adhibeantur. Cum enim illae non ſolum ad orationem illuſtrandam, ſed praecipue ad animi affectiones communicandas, aeque ac in pictis imaginibus colores, ſint comparatae; id unice agi oportebit, ut non ad vanam quamdam ſpeciem vix unquam auditoribus probandam uſurpatae, ſed e re ipſa potius enatae videantur; utque argumenti conditione ſpectata gravioribus affectibus vehementiores crebrioreſque; leniores vero atque infrequentiores levibus ſedatiſque accommodentur. Ab eaque certe eſt cauſſa, quamobrem eadem in epilogo, ubi maxime animi motus eminere debent, praecipuum ſibi quemdam vindicent locum.

Haec vero cum omnia exploratiſſima ſint, illud tamen, praeterea pro certo habetur, nuſquam adeo denſari ſchemata par eſſe, ut ſuam orationi adimant majeſtatem. Etenim, ut ait Fabius IX. 3. *& vultus mutatio oculorumque conjectu multum in actu valet; ſed ſi quis ducere os exquiſitis modis, & frontis ac luminum inconſtantia trepidare non deſinat, rideatur. Et oratio habeat rectam quamdam velut faciem; quae ut ſtupere immobili rigore non debebit, ita ſaepius in ea, quam natura dedit, ſpecie continenda eſt.*

LIBER QUARTUS DE VERBORUM COLLOCATIONE.

Qvae verba ad orationem pertexendam ex purioris linquae auctoribus deligenda curavimus, ac tum troporum tum ſchematum ſplendore illuſtravimus, ea neceſſe tandem eſt, ut collocemus. Hinc autem naſcitur Compoſitio, in qua & verborum ſtructura atque ordo, & diverſa periodorum genera, & variae dicendi formae ſive characteres conſideranda occurrunt: e quibus omnibus exſiſtit apta quaedam dignitas, & omnino congruentia illa, quam inter quatuor elocutionis dotes recenſet Tullius III. de Orat. 10. ut ſupra initio Libri III. oſtenſum eſt. Hac igitur extrema oratoriarum praeceptionum parte quidquid vel ad verborum ſtructuram atque ordinem, vel ad periodi naturam & ornamenta, vel ad diverſa dicendi genera ſpectant, enucleabimus.

Caput I.

De ſtructura, & ordine verborum.

I. Qvantopere verborum ſtructura debeat accurari, perſpiciet per ſe illico quicumque adverterit, non modo eam ad orationis dignitatem quam plurimum conducere, ſed totum etiam eloquentiae robur ipſius praeſidio deſtitu-

ſtitutum nulliusſerme futurum eſſe momenti. Quemadmodum enim ſermo bene aptis inter ſe vocibus coagmentatus perlibenter excipitur; ita contra ubi inconditis verbis aures, quarum, ut inquit Cic. in Orat. 44. judicium eſt ſuperbiſſimum, offenderit, tum certe excluſus ac rejectus haud facile finem ſuum aſſequetur. Quare hoc primum omnium providendum eſt, ut e verborum compoſitione id orationis genus enaſcatur, quod aequabiliter & quaſi prono alveo fluens tum gratum accidat auribus, tum leniter in animos ſeſe inſinuet. Sed de hoc latius infra, ubi de numero periodico dicetur.

Illud praeterea praeſtare par eſt, ut ſua quibuſque rebus ſtructurae ratio aptetur; quam nimirum & ſuavem jucundae, & aſperam durae, & ſonoram ſublimes, & tenuem exiles flagitant. Haec autem omnia e vario litterarum ſono potiſſimum oriuntur: cujus quanta ſit vis ad cujuslibet rei naturam imitandam atque exprimendam, facile ex illuſtrium ſcriptorum exemplis uno aurium ſubſidio dignoſcetur. Nemo enim certe non ſentit horum Virgilii verſuum amoenitatem ex ipſa elementorum ſuavitate manantem II. Ecl. 47.

Pallentes violas, & ſumma papavera carpens
Narciſſum, florem jungit bene olentis anethi.
Tum caſia, atque aliis intexens ſuavibus herbis
Mollia luteola pingit vaccinia caltha.

Atque hanc quidem rationem magnus ille rerum imitator jucundis adhibuit. Contra vero, cum de re ſane quam terribili loqueretur, hac horriſona oratione uſus eſt III. Aen. 655.

Vix ea fatus erat, ſummo cum monte videmus
Ipſum inter pecudes vaſta ſe mole moventem
Paſtorem Polyphemum, & litora nota petentem,
Monſtrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademtum:
Trunca manum pinus regit, & veſtigia firmat.

Quod igitur ad hoc genus attinet, ita ſane inter ſe dictiones comparare decet, ut ſonus ipſe inde reſultans facile queat pro rei natura vel ſuavitatem, vel horrorem, vel quamvis aliam affectionem animis auditorum ingerere.

Fugienda vero in ſtructura eſt nimia monoſyllabarum vocum frequentia, quae plane exilem, & longarum dictionum continuitas, quae tumidam facit orationem. Praeterea proximae ſyllabae congeminatio (quam παρήχησιν Graeci dixere) ubi nimirum injucunda eſſe videatur: aliquando enim elegans eſſe poterit, ut illae: *me mea paupertas*, apud Tibullum: *adverſo ſole*, apud Virgilium; & plures ejuſmodi aliae. Denique a crebris vocalium concurſionibus, queis hiet oratio, caven-

cavendum eſt: quod tamen ipſum nonnunquam tam epiſtolari quam ſublimi ſtylo non minimum decet.

II. Jam quod ad ordinem verborum ſpectat, id primo ſervari oportet, ut in exaggerationibus quidem ad graviora gradatim procedatur; ut in illo, quod ſupra attulimus, Ciceronis exemplo II. Philip. 25. *Tu iſtis faucibus, iſtis lateribus, iſta gladiatoria totius corporis firmitate*, &c. Secus vero in extenuationibus: quo pacto in hoc pro Muren. 6. *Si a me conſul deſignatus defenditur, ut ejus . . . nulla perfidia, nulla crudelitas, nullum petulans dictum in vita proferatur*. Quae quidem ratio optime habet: ubi enim extenuanda res eſt, decreſcendo creſcit oratio.

Ad haec recti ordinis eſſe creditur, ita voces diſponere, ut dignius praecedat, minus dignum ſubſequatur: quare *viros ac feminas, diem ac noctem, ortum & occaſum* dicendum monet Quintil. IX. 4. Quod tamen perpetuum non eſt: quemadmodum neque illud, quod etiam praecipitur, ut res ſcilicet, quae majoris ſit amplitudinis, praeire debeat. Utramque certe rationem uno ſimul loco ſequutus eſt Caeſar I. Bell. Gall. 1. ubi ait: *Initium capit a flumine Rhodano, continetur que Garumna flumine*.

Quaecumque vero leviora alia de hoc genere tradi ſolent, ea vel ſine ullis praeceptionibus facillime uſu ipſo monitore addiſcentur.

C a p u t II.

De Periodo.

Periodus ex Cicerone III. de Orat. eſt: *Oratio in quodam quaſi orbe incluſa procurrens, quoad perſiſtat in ſingulis perfectiſque ſententiis*. Unde apparet, hoc maxime periodi naturam contineri, ut ejus partes ita inter ſe connectantur, ut ſenſus percipi nequeat uſque donec ad finem deventum ſit. Exemplo eſto prima illa periodus Orat. poſt redit. in Senat. *Si, P. C., pro veſtris immortalibus in me, fratremque meum, liberoſque noſtros meritis parum vobis cumulate gratias egero, quaeſo obteſtorque, ne meae naturae potius, quam magnitudini veſtrorum beneficiorum id tribuendum putetis*. Ubi quidem ſuſpenſio ac tota colligatio naſcitur a particula *Si*: quod ipſum praeſtant aliae ejuſdem generis particulae, videlicet *quamquam, etſi, quoniam, quemadmodum*, &c.

Jam porro periodus κώλοις (*membris* & κόμμασι (*inciſis*)

ſis) conſtat. Colon ſive membrum eſt propoſitio ſuo verbo ſive expreſſo ſive tacito inſtructa; at imperfecta tamen, quae nimirum ad ſui intelligentiam atque integritatem, quod reliquum eſt periodi, exſpectat. e. g. *Quamquam mihi ſemper frequens conſpectus veſter multo jucundiſſimus, hic autem locus ad agendum ampliſſimus, ad dicendum ornatiſſimus eſt viſus, Quirites*: hoc ſane colon eſt, cujus ſententia percipi non ante poterit, quam ſubjiciatur: *tamen hoc auditu laudis, qui ſemper optimo cuique maxime patuit, non mea me voluntas, ſed meae vitae rationes ab ineunte aetate ſuſceptae prohibuerunt*. Cic. in exordio Manilianae.

Comma vero ſive inciſum eſt pars membri, quippe cum membrum e pluribus commatis conſtari ſoleat. Illud itaque Tullii pro P. Quint. 6 *Etenim ſi veritate amicitia, fide ſocietas, pietate propinquitas colitur*, unum membrum eſt, e tribus conſtans inciſis, quae ſcilicet ſunt diverſae illae partes, quibus coagmentatur. Atque heic non videtur praetereundum, eas quoque abſolutas ſententias, quae non tribus ſaltem vocibus inſtructae ſint, nuncupari Inciſa: qualia habentur ſingula illa Caeſaris verba, *Veni*, *Vidi*, *Vici*.

At vero ſaepe tum cola tum commata eo pacto adhibentur, ut neque illa periodum, neque haec membrum conſtituant; cum ſcilicet iis orator non uno ambitu ſimul intextis, ſed ſeparatim fuſa ac perpetua oratione utitur: unde oriuntur dicendi genera, πνεῦμα, & τάσις appellata, de quibus Cap. ſeq. agemus. Ita quidem membratim Cic. Act. I. in Verr. 10. *Nonae ſunt hodie Sextiles: hora nona convenire coepiſtis; hunc diem jam ne numerant quidem: decem dies ſunt ante ludos votivos: hos Cn. Pompejus facturus eſt: hi ludi dies quindecim auferent: deinde continuo Romani conſequentur*. Inciſim vero pro Ligar. 3. *Qui ſenſus erat armorum tuorum? quae tua mens? oculi? manus? ardor animi? quid cupiebas? quid optabas?* Ex his autem generibus alterum ad narrandum, alterum ad urgendum atque objurgandum ſummopere valet.

C a p u t III.

De multiplici periodorum genere.

E Vario membrorum numero, e quibus conſtari ſolent periodi, plura ipſarum genera & nomina enaſcuntur. Quae enim duobus conſtat membris, δίκωλος (*bimembris*) appellatur: cujuſmodi eſt illa Ciceronis pro Marcel. 1.

Ego

Ergo & mihi meae priſtinae vitae conſuetudinem, C. Caeſar, intercluſam aperuiſti;

& his omnibus ad bene de omni republica ſperandum quaſi ſignum aliquod ſuſtuliſti.

Quae vero periodus tria continet membra, τρίκωλος (*trimembris*) dicitur: qualis haec pro Leg. Manil. 1.

Nam cum antea per aetatem nondum hujus auctoritatem loci contingere auderem;

ſtatueremque nihil huc, niſi perfectum ingenio, elaboratum induſtria, afferri oportere:

omne meum tempus amicorum temporibus tranſmittendum putavi.

At quae reliquas omnes dignitate ac praeſtantia vincit, ea certe eſt τετράκωλος (*quatuor conſtans membris*) quae cum totam ratiocinationis vim ut plurimum complectatur, aures atque animum pleniſſime explet. Ejuſmodi eſt haec ejuſdem Tullii IX. Fam. 14.

Etſi contentus eram, mi Dolabella, tua gloria;

ſatiſque ex ea magnam laetitiam voluptatemque capiebam:

tamen non poſſum non confiteri, cumulari me maximo gaudio;

quod vulgo hominum opinio ſocium me adſcribit tuis laudibus.

Juvabit autem heic animadvertere, ſingula haec periodorum genera duabus conſtare partibus, ſcilicet πρότασι (*propoſitione*) & ἀπόδοσι (*redditione*) quarum illa ſenſum ſuſpendit, haec vero abſolvit. Et in bimembri quidem periodo alterum membrum eſt *protaſis*, alterum *apodoſis*. At in periodo trimembri alterutra earum partium pluribus continetur membris, quemadmodum & in tetracolo uſuvenire ſolet; in quo tamen ſaepe etiam e pari membrorum numero utraque pars conſtatur.

Oratio porro, quae quatuor membra excedit, ita tamen ut intra periodi orbem concludatur, non illa quidem Periodus, ſed *Oratio periodica* nuncupatur. Eo genere utitur Cic. in prooem. pro Arch. ubi inquit:

Si quid eſt in me ingenii, judices;

quod ſentio quam ſit exiguum;

aut ſi qua exercitatio dicendi;

in qua me non inficior mediocriter eſſe verſatum;

aut ſi hujuſce rei ratio aliqua, ab optimarum artium ſtudiis & diſciplina profecta;

a quo ego nullum confiteor aetatis meae tempus abhorruiſſe:

earum rerum omnium vel in primis hic A. Licinius fru-

ctum

ctum a me repetere prope ſuo jure debet.

Cum autem multa membra aut inciſa nullo circuitu periodico comprehenſa, alia aliis recto ordine attexuntur, quoad ferre poſſit ſpiritus dicentis; id orationis genus vocatur *πνεῦμα* (*ſpiritus*): cujus exemplum habes in Maniliana 8. ab illis verbis: *Dico ejus adventu*, &c. Quod ipſum dicendi genus ſi etiam longius producatur, quam vel firmiſſima quaeque latera ſuſtinere queant, tum vero vocabitur *τάσις* (*continuatio*): cujuſmodi occurrit V. in Verr. 72. ex illo loco: *Nunc te, Jupiter Opt. Max.* &c. Quod re tamen vera non tanti eſt, ut non vitio potius tribuendum ſaepe eſſe videatur.

Antequam autem hinc abeamus, breviſſima duo ad periodorum vel ſtructuram, vel uſum pertinentia monita ſubjiciemus. De illa quidem notatu dignum videtur, poſtremum e pluribus periodi membris, ſi reliquis brevius ſit, ad vehementiam magis eſſe idoneum; at ubi orationis gravitati conſulatur, productius plerumque eſſe oportere. Alterius rei exemplo eſto illud Scipionis apud Liv. XXI. 40.

Nunc quia ille exercitus Hiſpaniae provinciae ſcriptus, ibi cum fratre C. Scipione meis auſpiciis rem gerit;
ubi eum gerere ſenatus populuſque Romanus voluit:
ego, ut conſulem ducem adverſus Annibalem ac Poenos haberetis;
ipſe me huic voluntario certamini obtuli.

Alterius vero, hoc Tullii pro Arch. 7.

Quod ſi non hic tantus fructus oſtenderetur;
& ſi ex his ſtudiis delectatio ſola peteretur:
tamen, ut opinor, hanc animi remiſſionem humaniſſimam ac liberaliſſimam judicaretis.

De uſu porro periodorum ita habendum eſt, locum habere illas potiſſimum, ut docet Fabius IX. 4., in exordiis graviorum cauſſarum, in amplificationibus, & in epilogis; ita tamen, ut ipſis identidem fuſa immiſceatur oratio, quo ſatietati auditorum occurratur. Ceterum in narrationibus membratim dici ſolet, niſi ubi non docendi, ſed ornandi gratia narratur; quod plerumque uſuvenit in digreſſionibus.

CAPUT IV.

De periodi ornamentis.

QUamquam ipſa per ſe periodus maximum orationis eſt ornamentum, peculiares tamen quoſdam adſciſcit ornatus:

tus: qui, licet non omnium eadem ſit praeſtantia, non minimum tamen ſinguli ſplendorem afferunt orationi. Hi vero ſunt (1) Numerus, (2) Aequalitas membrorum, (3) Oppoſitio, & (4) Similitudo.

1. Quod attinet ad Numerum, is quidem non perinde ac poeticus certa pedum menſura continetur, ſed apta concinnaque compoſitione, unde gratus quidam concentus ad explendas aures reſultat. Hujus autem, cujus Iſocrates perhibetur auctor, quantum ſit momentum, ſi minus aliunde, ex hoc certe pronum eſt colligere, quod una ſaepe numeroſa clauſula ingentes totius multitudinis concitarit clamores; ut prae reliquis teſtatur Tullius in Orat. 50. Itaque oratoriae artis magiſtri, ne tam eximia orationis dos negligeretur, plurimas de ea prope etiam ad faſtidium regulas concinnarunt; & quaenam item pedum ratio accommodatior eſſet periodorum praeſertim concluſionibus, ubi in primis hujuſce rei ſumma conſiſtit, diligentiſſime perſcrutati ſunt.

Verum his omnibus omiſſis, poterunt nullo negotio tirones egregiam hanc numerorum doctrinam addiſcere aſſidua Ciceronis lectione, qui illam primus omnium e Graecia petitam in Latium intulit. Ut vero citius eorum aures numeroſae orationi aſſueſcant, & quantum ſit apte dicere, experiri queant, non inutile aliquando fuerit, *quod cuique viſum erit vehementer, dulciter, ſpecioſe dictum, ſolvere & turbare*, ut ſuadet Quintil. IX. 4., repente enim inde *aberit omnis vis, jucunditas, decor*. Hoc ipſum ante docuerat Cic. in Orat. ubi multus eſt in tota hac ratione perſequenda. Ibi igitur cap. 70. inter alia in rem exempla hoc etiam affert e Corneliana ſua deſumtum: *Neque me divitiae movent, quibus omnes Africanos & Laelios multi venalitii mercatoreſque ſuperarunt*: quae ſententia licet numeris omnibus abſoluta, ſi tamen, ut ipſe advertit, paullum immutetur, ut ſit: *multi ſuperarunt mercatores venalitiique*, tota res peribit & prope ad nihilum redigetur.

Sed ut jam hinc abſcedamus, duo poſtremo ſervanda proponere contenti erimus, primum ſcilicet ut ſimilitudo in numeris vitetur, quippe qui in ſoluta oratione, ſecus atque in ligata, quam maxime variare debeant; deinde ut ne verba curioſius tamquam in carmine collocentur, cum praeſertim hac in re quidam neglectus ſaepe ſit prae moroſa diligentia commendabilior.

2. Aequalitas membrorum ex pari, aut fere pari ſyllabarum numero exſiſtit: cujuſmodi membris conſtans periodus *ἰσόκωλος* Graecis, Latinis *compar* appellatur. Hujus generis eſt illa Ciceronis poſt redit. ad Quirit. 2. *Illi*

Illi mihi fratrem incognitum, qualis futurus eſſet, dederunt:

vos ſpectatum, & incredibili pietate cognitum reddidiſtis.

3. Praeterea Oppoſitione illuſtratur periodus, cum membri unius verba verbis alterius opponuntur vel relatione, vel contrarietate, vel utraque. Et relatione quidem, cum nomina nominibus, verba verbis, obliqua obliquis, &c. reſpondent: ut apud Tullium pro A. Caecin. 1.

Si quantum in agro locisque deſertis audacia poteſt;
tantum in foro atque in judiciis impudentia valeret:
non minus nunc in cauſſa cederet A. Caecina Sex. Aebutii impudentiae;
quam tum in vi facienda ceſſit audaciae.

Contrarietate vero opponuntur, cum verborum notiones contrariae inter ſe ſunt; quo pacto in Maniliana 12.

Ita tantum bellum, ... Cn. Pompejus
extrema hieme apparavit,
ineunte vere ſuſcepit,
Media aeſtate confecit.

Utraque demum ſimul opponuntur in hoc ejuſdem Cic. pro Marcel. 7.

Aut ſua pertinacia vitam amiſerunt;
aut tua miſericordia retinuerunt.

4. Similitudo ultimum eſt periodi ornamentum, quae conſiſtit vel in eodem vocabulo ſaepe repoſito, vel in ſimili verborum ſono. De quibus figuris, de repetitione ſcilicet ejuſdem vocis, deque iis, quae dictae ſunt Similiter cadens & Similiter deſinens, in III. Lib. 6. egimus.

De hujuſcemodi autem ornamentorum uſu operae pretium erit prae oculis ſemper habere praeceptum Auctoris ad Herenn. IV. 22. licet non plane ille omnia complexus ſit; ait enim: *Haec tria genera proxima exornationum, quorum unum in ſimiliter cadentibus, alterum in ſimiliter deſinentibus verbis, tertium in annominationibus poſitum eſt, perraro ſumenda ſunt, cum in veritate dicemus.* Etenim, ut mox Idem: *Fides, & gravitas, & ſeveritas oratoria minuitur his exornationibus frequenter collocatis; & non modo tollitur auctoritas dicendi, ſed offenditur quoque in ejuſmodi oratione auditor.*

CAPUT V.

De variis dicendi generibus.

AD congruenter apteque dicendum, praeter hactenus dicta, neceſſe potiſſimum eſt, ut ſingulis quibuſque orationum argumentis ſua dicendi genera adhibeantur. Haec autem pro triplici rerum ratione, circa quas oratoria dictio verſari ſolet, tria vulgo conſtituuntur, Magnificum, Temperatum, & Tenue; quibus uti poſſit orator, prout unicuique cauſſae magis viderit expedire. Atque in recto quidem eorum uſu non minimam eloquentiae vim poſitam eſſe declarat Cic. in Orat. 29. cum inquit: *Is enim eſt eloquens, qui & humilia ſubtiliter, & magna graviter, & mediocria temperate poteſt dicere*. De his igitur ſingulis dicendi characteribus, necnon de vitiis, in quae degenerare ſolent, mox nobis ſermo erit poſtquam paucula, quae generatim ad eadem illa pertinent, attigerimus.

In quolibet dicendi genere vitanda pro viribus eſt Aſiatica illa redundantia, quae rerum inaniſſima nihil ferme niſi vanum quemdam continet verborum ſonitum. Illa Aſiae olim populis apprime familiaris, Athenas deinde ipſas, ac poſtremo Romam pervaſit; itaque animos prope omnium occupavit, ut ne ipſi quidem eloquentiae principes ab ea omnino abhorruerint.

Nec porro multo pluris habenda eſt Laconica breviloquentia Aſiaticae ubertati e regione oppoſita, qua Lacones maxime delectabantur; quae tam multa pauciſſimis concludit, ut nullibi fere non egeat interprete. Ejuſmodi eſt celebre illud, quod olim ea gens Philippo Macedonum regi bellum minitanti reſcripſit: *Dionyſius Corinthi*; quo ipſum monitum voluerunt, niſi ab incepto deſiſteret, facile eventurum, ut quam fortunam Syracuſanus tyrannus regno expulſus ſubierat, eadem & illi contingeret. Quam multa quam paucis! At orationis certe vitium non ferendum, utpote, ſi nihil aliud, perſpicuitati maximopere adverſum.

Cum his autem modo memoratis dicendi generibus nihil plane commune habet ſtylus Atticus, qui & ab Aſiatica loquacitate longe abit, cum maxime conſectetur brevitatem; & Laconicam obſcuritatem refugit, cum ad animi ſenſa exprimenda non minore, quam opus ſit, verborum copia utatur. Tum vero plurimo acumine & elegantia refertus eſt.

Jam

Jam Attico ſtylo aliquanto uberior eſt Rhodius, quam maxime & ipſe commendandus, cum non ſolum intra mediocritatis terminos ſeſe contineat, verum etiam ad plura ſcriptionum genera videatur accommodatior.

Hinc autem perſpecto, quid potiſſimum fugere, quid ſequi deceat, facilius jam erit, cujuſcunque generis ſtylum ſua cuique natura conceſſerit, ad rectam artis normam ipſum attemperare.

Caput VI.

De magnifico dicendi genere.

VNde quilibet orationis habitus exſiſtit, inde etiam illius magnificentia ducit originem, nimirum a rebus, verbis, & compoſitione verborum.

I. Inter res autem, quae ſtyli ſublimitatem pariunt, praecipuum locum obtinent ſententiae, quibus plurimum ſplendoris & gravitatis inſit. Hujuſmodi ſunt 1° quae a divinis rebus deſumuntur: qualis haec Plinii in Penegyrico: *Ac ne illud quidem vereor, ne gratus ingratuſve videar, prout ſatis, aut parum dixero. Animadverto enim etiam Deos ipſos non tam accuratis adorantium precibus, quam innocentia & ſanctitate laetari: gratioremque exiſtimari, qui delubris eorum puram caſtamque mentem, quam qui meditatum carmen intulerit.*

2° Quae a naturae operibus petuntur: cujuſmodi eſt illud ibid. de militari tumultu, antequam Trajanus ad imperium eveheretur, exorto. *Quare ego illum ipſum furorem motumque caſtrenſem reor exſtitiſſe, quia magna vi magnoque terrore modeſtia tua vincenda erat. Ac ſicut maris caelique temperiem turbines tempeſtateſque commendant; ita ad augendam pacis tuae gratiam illum tumultum praeceſſiſſe crediderim.*

3° Quae a diſciplina morum ducunt originem; ut X. Aen. 500.

. . . Turnus ovat ſpolio gaudetque potitus.
Neſcia mens hominum fati ſortiſque futurae,
Et ſervare modum rebus ſublata ſecundis!

4° Quaecumque a quibuſvis aliis magnificentiae fontibus hauriuntur, veluti a perilluſtrium virorum geſtis, dictis, exemplis, a pugnis, a victoriis, & ſimilibus.

Praeterea ad res ſublimes pertinent figurae illae, quae ſingularem quamdam vim ac dignitatem prae ſe ferunt, ut Paralepſis, Interrogatio, Apoſtrophe, Proſopopoeia, aliae-

que tales; e quibus, dum intra modum adhibeantur, vix dici poteſt quanta majeſtas ac ſplendor accidat orationi.

II. Verba porro, quae magnifico generi conveniunt, 1° ſunt translata, a magnis praeſertim rebus; quo pacto apud Virg. IV. Georg. 560.

. . . . Caeſar dum magnus ad altum
Fulminat Euphratem bello.

necnon quae ſenſum agendique facultatem inanimis tribuunt; ut Orat. pro Marcel. 3. *Parietes . . . hujus curiae tibi gratias agere geſtiunt.*

2° Productiora, modo ne ſeſquipedalia ſint, neu grandioris ſoni quam deceat: quae tamen ipſa poetis facile permittuntur.

3° Compoſita, & quaecumque ad res potentius exprimendas plurimum valent; qualia potiſſimum habentur epitheta ad augendum ornandumque comparata.

III. Jam quod ad compoſitionem attinet, magnifica ea cenſetur, ſi membris conſtet longioribus & implicarioribus; ac ſi ejuſmodi ſit junctura verborum, unde ſonus amplitudini rerum deſignandae idoneus oriatur. Qua de cauſſa ab exordio Aeneidos excludunt eruditi verſus illos: *Ille ego qui quondam*, &c. ad rerum imitationem nimis exiles; & ab aliis ſonantioribus ducendum eſſe initium arbitrantur: *Arma virumque cano*, &c.

Ad eamdem porro compoſitionis granditatem conducere nonnumquam videtur aliquis vocalium concurſus; ut I. Aen. 621.

Tune ille Aeneas, quem Dardanio Anchiſae, &c. Et III. 666.

Argolici clypei, aut Phoebeae lampadis inſtar.

Poſtremo non minimum in hoc genere varietas caſuum commendatur. Itaque ſi Lucretianam peſtis deſcriptionem cum Virgiliana conferamus, hanc longe magnificentiorem hoc potiſſimum nomine deprehendemus. Lucretius enim ad univerſa exprimenda unam prorſus eamdemque inſtitit viam Lib. VI.

Nec tamen omnino temere illis ſolibus ulla
Comparebat avis: nec noctibus ulla ferarum
Exibat ſilvis: languebant pleraque morbo,
Et moriebantur: cum primis fida canum vis
Strata viis animam ponebat in omnibus aegram.

Virgilius vero ſingula variando mirifice orationem ſuam illuſtrat III. Georg. 494.

Hinc laetis vituli vulgo moriuntur in herbis,
Et dulces animas plena ad praeſepia reddunt.

Hinc

Hinc canibus blandis rabies venit: & quatit aegros
Tuſſis anhela ſues, & faucibus angit obeſis.
Labitur infelix ſtudiorum, atque immemor herbae
Victor equus.

Quis heic, quaeſo, ex tam diverſa res conſtruendi ratione non maximam ſermoni dignitatem comparari intelligat?

C A P U T VII.

De frigido ſeu tumido dicendi genere.

ORATIONIS magnificentiam, de qua modo dictum, nimiopere affectantes in frigiditatem ſive tumorem incidunt.

I. Itaque ſi aut res plane exiguae ſublimi admodum ſermone, vel magnae plus quam par ſit efferantur, aut audaciores, frequentioresque adhibeantur hyperbolae, aut argutiores ſententiae congerantur, frigida tumidaque evadet oratio. Hinc probari nullo modo poteſt illud Flori II. 17. quo, ut narraret Hiſpaniae partem per D. Brutum ſubactam, ductasque ab eo copias ad oceanum, inquit: *D. Junius Brutus aliquanto latius Celticos, Luſitanoſque & omnes Gallaeciae populos, formidatumque militibus flumen oblivionis* (i. e. Lethen) *domuit: peragratoque victor oceani litore non prius ſigna convertit; quam cadentem in maria: ſolem, obrutumque aquis ignem non ſine quodam ſacrilegii metu & horrore deprehendit*. Vide, per haec quam magni fluctus, quod dicitur, in ſimpuvio excitentur.

Non magis autem ferendum, quod Demetrius Phalereus refert a quodam dictum, lapidem ſcilicet, quem Cyclops in Ulyſſem conjecit, paſcentes ſecum capras aſporraſſe; adeo ingentis erat magnitudinis. Hyperbole certe, quae non modo fidem, ſed modum etiam juſtoſque terminos tranſgreditur, contra quam ſervari jubet Quintil. VIII. 6.

Inter frigidas vero & plus aequo argutas ſententias mirum quantum eminet haec illius, qui, ut Alexandrum ad curſum Olympicum excitaret: *Curre*, inquit, *matris nomen*; quippe cum ejus mater, ut norunt omnes, Olympias diceretur.

Quae pauca exempla huc collata ſatis ſuperque declarant, quam totum hoc genus leve ſit atque ab oratoria dignitate longe alienum.

II. Verum orationis frigiditatem & tumorem pariunt etiam verba 1.° obſoleta: quare riſu exceptum refert Gell. XI. 7. oratorem quemdam, qui Romanum equitem ad eam ege-

ſtatem redactum dixit, ut *appludam ederet*, & *floces biberet*; ſtupentibus primo verborum inſolentia auditoribus, mox vero in cachinnum diffluentibus.

2.° Compoſita, ſi poëticam, praecipue dithyrambicam licentiam ſapiant; ut *rudentiſibilus*, i. e. rudentum ſibilus, *nucifrancibula* pro dentibus, *dentifrangibula* pro pugnis, *famulus heriſuga*, *ſus nemoricultrix*; quibus uſi Pacuvius, Plautus, Catullus, Phaedrus.

3.° Metaphorica, ſi duriter transferantur; ut in exemplis, quae ad id ipſum affert Auctor ad Herenn. IV. 10. *Nam qui perduellibus venditat patriam, non ſatis ſupplicii dederit, ſi praeceps in Neptunias depulſus erit lacunas*. Ac ſtatim poſt: *Poenitet igitur iſtum, qui montes belli fabricatus eſt, campos ſubſtulit pacis*.

4.° Epitheta otioſa, quae ſcilicet neque augeant aut ornent; ut *ſudor humidus*, *pavidus metus*; licet eadem conceſſa ſint poetis. Praeterea prolixiora, quam aequum eſſe videatur; aut ita crebra, ut implicent potius orationem, quam illuſtrent.

III. Compoſitio quoque ipſa frigida eſſe poteſt, ſi numeroſior ſit magiſque magniloqua, quam argumento conveniat. Ille igitur, quiſquis fuit, jure ac merito reprehenſus eſt, qui de fluviolo cum loqueretur, hoc dicendi genus uſurpavit: *E Tauricis montibus praeceps deſcendens in mare prorumpebat*; neque enim grandius de Nilo loqui potuiſſet.

Caput VIII.

De tenui dicendi genere ejuſque vitio.

I. Poſt magnificum dicendi genus, de tenui ſtatim nonnulla dicere viſum eſt, quippe quod illi ſit quam maxime oppoſitum. Etenim quibus illud ornamentis ſummopere delectatur, eadem fere omnia hoc a ſe rejicit; ſcilicet troporum ac figurarum frequentiam, ſchematum audaciorum granditatem, verborum magnificentiam, implexam periodorum compoſitionem, quaecumque demum vel minimum obſcuritatis afferre poſſint. Praecipua namque ſtyli tenuis proprietas eſt Perſpicuitas, & quidem tanta, ut per eam ceteris dicendi generibus facile antecellat.

In eo igitur totus eſt hic ſtylus, ut res dilucide ſimul & concinne aperiat: ita ut licet ad uſitatiſſimam dicendi conſuetudinem ſeſe demittat, ſingulari tamen quodam, eoque minime adſcito, ſed plane nativo nitore ceteris praeſtet. Ex

quo

quo ſit, ut cum prima ſpecie cuilibet imitabilis videatur, nihil tamen eo ſit experienti difficilius; uti ſentit Cicero in Orat. 23.

Neque tamen credendum eſt, univerſa omnino orationis ornamenta ab ejuſmodi dicendi genere exulare debere. De qua re ita ibid. 24. dicitur: *Ergo ille tenuis orator, modo ſit elegans, nec in faciendis verbis erit audax, & in transferendis verecundus, & parcus in priſcis, reliquiſque ornamentis & verborum & ſententiarum demiſſior: translatione fortaſſe crebrior, qua frequentiſſime ſermo omnis utitur non modo urbanorum, ſed etiam ruſticorum.*

Jam vero locum habet hic ſtylus praecipue in dialogis, in narrationibus, atque in epiſtolis ad familiares: nam quae ad viros principes dantur, eae quidem paullo altius aſſurgere conſueverunt.

II. Vitium autem, in quod degenerare ſtyli tenuitas ſolet, Siccitas ſive Ariditas appellatur. Haec vero oritur 1.° tum a ſententiis tum a verbis, quae jejuniora ſint, quam oporteat, ita ut rerum momenta non adaequent. Ea propter acri cenſura perſtrictus ille fuit, qui Xerſem ingentibus cum copiis adventantem *deſcendiſſe*, ait, *cum ſuis*. Quo quidem dicendi genere, etiam grandius, uſus eſt Cicero, cum de duobus patribus familias verba faceret; inquit enim II. in Verr. 27. *Heraclius ille & Epicrates longe mihi obviam cum ſuis omnibus proceſſerunt.*

2.° Naſcitur ſiccitas vel ab elocutione nullis prorſus figurarum luminibus diſtincta, vel a compoſitione nimis fracta & inciſa, qualis eſt in hoc Hippocratis effato: *Vita brevis, ars longa, occaſio praeceps, experientia fallax, judicium difficile.*

CAPUT IX.

De mediocri dicendi genere, ejuſque vitio.

I. QVICVMQVE tum magnifici tum tenuis ſtyli proprietates perſpectas habeat, huic perfacile erit, ubinam mediocre dicendi genus conſiſtat, dijudicare. Is enim in medio amborum poſitus ita attingit utrumque, ut utrinque nonnulla ſibi aſſumat; a ſublimi ſcilicet modicam quamdam figurarum aliorumque ornamentorum copiam; a ſubmiſſo autem ejuſmodi tenuitatem, qua nimiam refugiat verborum ſententiarumque majeſtatem. Itaque, ut ait, Cic. in Orat. 6. *uno tenore, ut ajunt, in dicendo fluit, nihil afferens praeter facilitatem & aequabilitatem: aut addit aliquos, ut*

in corona, toros, omnemque orationem ornamentis modicis verborum ſententiarumque diſtinguit.

II. Vitium autem, in quod labuntur quicumque mediocre dicendi genus conſectantes aſſequi nequeunt, dicitur Fluctuans & Diſſolutum: quoniam, prout loquitur Auctor ad Heren. IV, 11. *ſine nervis & articulis fluctuat huc & illuc, nec poteſt confirmare neque viriliter ſeſe expedire*. De eo ibidem exemplum affertur hujuſmodi: *Socii noſtri cum belligerare nobiſcum vellent, profecto ratiocinati eſſent etiam atque etiam, quid poſſent facere, ſi quidem ſua ſponte facerent, & non haberent heic adjutores multos, & malos homines, & audaces. Solent enim diu cogitare omnes, qui magna negotia volunt agere.*

Quo orationis genere quid ineptius atque inſulſius excogitari poterit? quippe quod etſi nulla non optimae latinitatis verba contineat, diſſolutionis tamen cauſſa nihil plane cum latino ſermone commune videatur habere.

CAPUT X.

De ſtyli venuſtate.

POſtquam de tribus orationis characteribus quaecumque ore magis viſa ſunt, in medium attulimus, reliquum eſt, ut tum de Venuſtate illis omnibus communi, tum de Gravitate, quae praecipue ſublimi ſtylo accidit, pauca dicamus: quae duo licet Demetrius inter dicendi genera recenſeat, alii tamen rectius non plane aliud ea eſſe, quam quaſdam eorumdem affectiones putaverunt. Primum igitur quae ad Venuſtatem pertinent, hoc loco percurremus.

Haec autem naſcitur ex ejuſmodi rebus, verbis, & compoſitione verborum, quae floridam amoenamque reddant orationem.

I. Res itaque huc ſpectantes ſunt Horti, Fontes, Flores, atque ejuſdemmodi alia: quae interdum ita venuſta ſunt, ut ob nullam orationis aſperitatem quidquam inſitae ſuavitatis amittant. Ea de cauſſa amoenum in primis eſt illud Maronis VII. Eccl. 45.

Muſcoſi fontes, & ſomno mollior herba,
Et quae vos rara viridis tegit arbutus umbra.

Ad eamdem porro rerum amoenitatem revocari poſſunt (1) Hyperbole, (2) Similitudo, aut Comparatio, (3) Allegoria, & (4) Proverbium; quorum quaedam jucunda ſunt, cum e rebus amoenis deſumuntur; quaedam vero, quod in iis aliud ex alio intelligitur.

1. Hy-

1. Hyperbole itaque ſuavitatem habet, ſi a jucundis gratiſque rebus petatur, qualis in adjecto Virgilii exemplo: *Somno mollior herba*.

2. Similitudines porro & Comparationes tum eadem de cauſſa, qua Hyperbole, venuſtae eſſe ſolent; tum vero etiam, quod dum nonnulla proponunt, alia illuſtrant. Ejuſmodi omnino eſt haec ejuſdem poetae, qui Orpheum flentem ob Euridicen amiſſam philomelae venuſtiſſime comparat IV. Georg. 511.

Qualis populea moerens philomela ſub umbra
Amiſſos queritur foetus, quos durus arator
Obſervans nido implumes detraxit: at illa
Flet noctem, ramoque ſedens miſerabile carmen
Integrat, & moeſtis late loca queſtibus implet.

3. Non abſimili de re in primis amoena eſt Allegoria, quippe cum diverſas ſimul res intelligendas proponat; ut illa, qua utitur Ilioneus, dum Latino regi fata ſuae gentis enarrat apud Virg. VII. Aen. 222.

Quanta per Idaeos ſaevis effuſa Mycenis
Tempeſtas ierit campos . . . .

Et paucis interjectis . . . .

Diluvio ex illo tot vaſta per aequora vecti, &c.

4. Proverbium denique, ſi nihil aliud, quod allegoricis verbis continetur, vel eo venuſtatem affert non minimam; ut: *Ignem gladio ne fodito*, i. e. iratum ne laceſſas.

II. Quod ad verba ſpectat, ea prae reliquis venuſta ducuntur, quae vel ſignificationem rei venuſtae habent, vel ſonum dulciorem ac molliorem; cujuſmodi ſunt in his verſibus Virgilii XI. Aen. 68.

Qualem virgineo demeſſum pollice florem
Seu mollis violae, ſeu languentis hyacinthi.

In eorum autem ordinem referuntur etiam translata; ut I. Georg. 250.

Noſque ubi primus equis oriens afflavit anhelis,
Illic ſera rubens accendit lumina veſper.

III. Compoſitionis venuſtas exiſtit primo ex brevitate; ut in illo Ovidii I. Triſt. 1.

Parve, nec invideo, ſine me liber ibis in urbem.

Praeterea ex repetitione; quo pacto apud Virg. I. Ecl. 39.

Tityrus hinc aberat: ipſae te, Tityre, pinus,
Ipſi te fontes, ipſa haec arbuſta vocabant.

Poſtremo ex aequalitate, & oppoſitione membrorum, aliiſque periodi ornamentis; necnon e ſuaviore quodam verborum ordine, qui audientium auribus blandius ſeſe inſinuet.

In his tamen omnibus, quae hactenus de venuſtate ſtyli dicta ſunt, propoſitum menti illud, quod & in reliquis oratoriis praeceptis, haberi debet: *Ne quid nimis*. Venuſtatem enim in dicendo pluſquam deceat affectantes in vitium incurrunt, quod a re ipſa Κακοζηλία (*prava affectatio*) dictum eſt; quod cum omnia dictionis vitia complectatur, ut declaravit Quintil. VIII. 3. praecipue tamen pro eo accipitur, quod venuſtati eſt oppoſitum.

CAPUT XI.

De ſtyli gravitate.

HAec ſtyli affectio, quae magnifico dicendi generi accedit, poſita in eo eſt, ut orationem ad atrocia inſectanda, atque ad gravia pro merito exponenda maximopere acuat atque inflammet.

I. Comparatur autem ejuſmodi ardor & vehementia primum ex illis figuris ſententiarum, quae reliquis ſunt graviores, & ad animos concitandos valde conducunt: quales habentur Paralepſis, Proſopopeja, Interrogatio, Exclamatio, aliaeque his non abſimiles. Huc maxime facit exemplum Tullii V. in Verr. 63. ubi & exclamando, & interrogando ſic loquitur: *O nomen dulce libertatis! o jus eximium noſtrae civitatis! o lex Porcia, legeſque Semproniae! o graviter deſiderata & aliquando reddita plebi Romanae tribunitia poteſtas! Huccine tandem omnia reciderunt, ut civis Romanus in provincia populi Romani, in oppido foederatorum, ab eo, qui beneficio populi Romani faſces & ſecures haberet, deligatus in foro virgis caederetur?*

Ad haec excitatur ad vehementiam ſermo vividis triſtium rerum imaginibus; cujus generis eſt haec pro Quint. 15. *De quo homine praeconis vox praedicat & pretium conficit, huic acerbiſſimum vivo videntique funus ducitur: ſi funus id habendum ſit, quo non amici conveniunt ad exequias cohoneſtandas, ſed bonorum emtores, ut carnifices, ad reliquias vitae lacerandas & diſtrahendas.*

Praeterea iis figuris verborum, quae magis ad emphaſim conferunt, ut 1º. Anaphora: quae ita a Tullio adhibetur ibid. 26. *Quid haec amentia, quid haec feſtinatio, quid haec immaturitas tanta ſignificat? non vim? non ſcelus? non latrocinium? non denique omnia potius, quam jus, quam officium, quam pudorem?*

2º. Epizeuxi; ut I. in Catil. 1. *Nos, nos, dico aperte,*

conſules deſumus. Et paullo poſt: *Vivis, & vivis non ad deponendam, ſed ad confirmandam audaciam*. Tum vero V. in Verr. 62. *Crux, crux, inquam, infelici & aerumnoſo, qui nunquam iſtam poteſtatem viderat, comparabatur*.

20. Aſyndeto, quo pacto II. in Catil. 1. *Abiit, exceſſit, evaſit, erupit*.

II. Jam vero praeter figuras ſingula etiam verba gravem efficiunt diſtinctionem. Ejuſmodi autem ſunt 1.° metaphorica; ut I. in Catil. 1. *Quem ad finem ſeſe effrenata jactabit audacia?* Et 11. *An bello vaſtabitur Italia, vexabuntur urbes, tecta ardebunt: tum te non exiſtimas invidiae incendio conflagraturum?*

2.° Hyperbolica: qualia uſurpata illa paſſim a Tullio *peſtis, labes, portentum, monſtrum, prodigium*. Ita III. in Verr. 73. *Non mihi jam furtum, ſed monſtrum ac prodigium videbatur*. Et de Haruſp. Reſponſ. 2. *Cum his furiis & facibus, cum his, inquam, exitioſis prodigiis ac pene hujus imperii peſtibus bellum mihi inexpiabile dico eſſe ſuſceptum*.

3.° Quaecumque voces ſingularem quamdam ſignificandi vim habent: cujuſmodi occurrunt pro Ligar. 5. *Quod nos domi petimus precibus & lacrymis proſtrati ad pedes . . . id ne impetremus, pugnabis? & in noſtrum fletum irrumpes?* Tum mox: *Si cum hoc domi faceremus, quod & fecimus . . . tu derepente irrupiſſes & clamare coepiſſes: C. Caeſar, cave credas, cave ignoſcas . . . nonne omnem humanitatem exuiſſes?*

III. Compoſitio porro ipſa gravis fit 1.° Inciſis; quemadmodum pro Planc. 19. *Quid taces? quid diſſimulas? Quid tergiverſaris? etiam atque etiam inſto atque urgeo, inſector, poſco, atque adeo flagito crimen*.

2.° Soni aſperitate, quae e confragoſo quopiam litterarum concurſu oriatur; ut in Miloniana 32. *Non fuiſſe credo fas, clariſſimorum virorum formas illi teterrimo parricidae aliquid decoris afferre*.

3.° Iis membrorum clauſulis, quae tum ambitus tum verborum brevitate vehementius animos feriant. Ita apud Liv. XXII. 60. adverſus Romanos milites captivos Manlius Torquatus: *Si tot exempla virtutis non movent, nihil unquam movebit: ſi tanta clades vobis vilem vitam non fecit, nulla faciet*. Itaque probatur etiam, ſi nonnunquam oratio quodammodo abſcindatur & cadat in vocem aliquam monoſyllabam; qua ratione apud Virg. VI. Aen. 346.

. . . . . . *En haec promiſſa fides eſt?*

Eodem ſpectat illud Tullii pro Ligar. 4. *Non tu ergo hunc patria privare, qua caret, ſed vita vis*.

4°. Ejuſ-

Digitized by Google

4.° Ejuſmodi collatione verborum, qua oratio ſemper in majus tendat; ut dictum cap. 1. hujus Libri.

Poſtremo autem animadvertere juvat, a gravi compoſitione eliminanda plane eſſe Similiter deſinentia & cadentia, necnon Paronomaſias, & cetera ejuſdem notae ornamenta, quae ſedati magis, quam concitati animi ſunt.

Jam vero quaecumque huc uſque de ſtyli gravitate diſſeruimus, ſi non intra ſuum modum contineantur, *indecora* evadet oratio; a quo vitio perinde atque a reliquis declinare artis ratio ſuadet.

CAPUT ULTIMUM

De Actione.

CUm quidquid praeceptorum ad orationem conformandam ſatis fore videbatur, jam tradiderimus; unum modo ſupereſt, ut pauca de Actione ſive Pronuntiatione proponamus: quae quamquam poſtremo loco tractari conſuevit, non poſtremum tamen in oratoria arte obtinet locum. Etenim, ut ait Cic. in Orat. 17. *infantes, actionis dignitate, eloquentiae ſaepe fructum tulerunt; & diſerti, deformitate agendi, multi infantes putati ſunt: ut jam non ſine cauſſa Demoſthenes tribuerit & primas, & ſecundas, & tertias actioni*. Itaque in ſumma ipſius praeſtantia extollenda multus eſt tum Idem pluribus in locis, tum vero praecipue Quintil. XI. cap. ult.

Eſt autem Actio ſive Pronuntiatio, quo pacto idem Tullius I. de Invent. 7. definivit: *Ex rerum & verborum dignitate vocis* & *corporis moderatio*. Itaque duo potiſſimum in tota hac arte ſpectari debent, Vox, & Geſtus. Quae enim de memoria a nonnullis doceri ſolent, non certe tanti ſunt, ut in iis immorari neceſſe habeamus.

I. Quod ad vocem attinet, hoc maxime operam dare oportebit, ut ea nihil plane auditorum aures offendat. Id autem aſſequetur orator, ſi voce nec nimis gravi, nec nimis acuta utatur; ſi vero ita temperata, ut nec tractim, nec praecipitanter dicat; ſi denique varia, & ita ad ſingulas orationis partes accomodata, prout earum unaquaeque poſtulaverit.

De hac autem varietate animadvertendum eſt, exordiis, niſi ducantur ab indignatione, verecundam & ſubmiſſam vocem decere; quae inde tamen paullatim aſſurgat. In narratione porro uſus erit vocis apertae ac ſimplicis, qualis in fa-

miliari ſermone eſſe ſolet: in argumentatione, variae, ſed plerumque acrioris: in peroratione, ubi habeatur partium enumeratio, excitatioris, ac veluti conciſae: at in figuris, atque in affectuum commotionibus ſervanda eſt potiſſimum vocis inflexio. Quam quidem inflexionem diſerte declarat Cic. III. de Orat. 58. At nobis tamen id unum ſatis erit ſignificaſſe, ejuſmodi vocem in affectibus ſive iracundiae, ſive metus, ſive hilaritatis, ſive miſerationis ac moeroris adhibendam oratori eſſe, quam in iiſdem univerſi magiſtra veluti natura efferre conſuevimus. Quod ſane tum facilius continget, ubi orator eodem illo affectu, quem auditorum animis inſinuare volet, ſit ipſe non mediocris occupatus.

Neque vero illud praeteriri debet, res grandes pleniore quadam voce enuntiandas eſſe, humiles tenui, mediocres temperata, atroces contenta; ſingula autem verba dilucide atque expreſſe (non tamen ſyllabatim) ac ſignificantiora etiam aliquanto vehementius.

II. Jam vero Geſtus eſt apta quaedam oris totiuſque corporis conformatio; de quo copioſe admodum Quintil. XI. 3. ubi & de reliquis ad Actionem ſpectantibus multa differit. Huc autem primum omnium pertinet Seſſio, & Status.

Seſſio locum habet in academicis congreſſibus, ubi tota oratio a ſedente recitatur; apud ſacros item oratores, cum ad ſedatiorem aliquem locum devenerint. Status vero in judicialibus cauſſis agendis per totum orationis curſum; & in ſacris concionibus fere ſemper, praeterquam ubi ſeſſio magis convenire videatur. Inceſſus praeterea ab iis, qui e ſuggeſtu dicunt, poteſt quidem, at non niſi temperate adhiberi.

Caput porro neque dejectum decet eſſe ac demiſſum, neque in cervicem reflexum, ſed rectum; neque vero rigens aut immobile, ſed toti actioni concordibus, non autem hiſtrionibus, obſquens motibus.

Vultus, qui in actione maxime dominatur, accurate ad res ipſas eſt conformandus; ita ut triſtis in moeſtis, laetus in jucundis, gravis in ſeriis, iratus in indignis appareat: quod monet Hor. in Art. poet.

Vultum vero frontis praecipue & oculorum habitus comitari debet. Nam & illa ſicuti explicata hilaritatis eſt index, ita contracta triſtitiae ac ſeveritatis: & hi, cum quaedam quaſi ſimulacra ſint animi, ardent in ira, avertuntur in odio ac faſtidio, defixi haerent in admiratione.

Humerorum motus indecens eſt. Brachiorum autem moderandus; quae tamen & vehementior affectus longius projicere, & ſpecioſior aliqua uberiorque ſententia latius exſpatiari permittit. Ma-

Manus, *ſine quibus*, ut inquit Fabius ibid. *trunca eſſet oratio ac debilis*, ita tamen temperandae ſunt, ut nec ipſae mediocritatis fines egrediantur. Itaque, docente eodem, *manus ſiniſtra nunquam ſola geſtum recte facit: dextrae ſe frequenter accommodat*. Dextra vero multo quidem crebrius, atque adeo nunquam fere non agit, at non niſi uſque eo, ut dictionem idonee ac decenter adjuvet. In exordio igitur contineri debet, donec oratio aliquantulum concaluerit: in reliqua porro oratione nec nimis jactanda, & ſemper cum ipſa ſententia eſt deponenda.

Ad ſummam non vulgarem in tota Actione decorem ac dignitatem ſervare neceſſe eſt, & quamlibet mimicae affectationis ſpeciem procul inde amovere.

M O N I T U M.

ORatoriae artis praecepta hactenus enucleata cum non minimum quidem adoleſcentes ad eloquentiam informare valeant; ſunt eadem tamen ejuſmodi, ut niſi aſſidua oratorum lectione & quotidiana ſcribendi exercitatione fulciantur, nulli ferme ipſis uſui ſint futura. Etenim, ut perſcienter inquit Tullius I. *Off.* 18. nec medici, nec imperatores, nec oratores, quamvis artis praecepta perceperint, quidquam magna laude dignum ſine uſu & exercitatione conſequi poſſunt. *Quis igitur dicendi facultatem comparare contendit, in hoc potiſſimum ei cura collocanda erit, ut praecellentium oratorum opera pervolutando, in iiſque quaecumque vel ad argumentorum firmitatem, vel ad orationis ſtructuram, vel ad verborum elegantiam attinent, perquirendo, optima quaeque illinc expreſſa in proprium veluti ſuccum & ſanguinem convertat, atque in ſuas lucubratiunculas non intermiſſo labore transfundat. Per id enim imitationis ſtudium fiet, ut quos ſcriptores propoſitos quis habuerit, ad eorundem aliquando praeſtantiam ſi non omnino perveniat, at quam proxime ſaltem accedat.*

Nos vero ut adoleſcentulis artis hujuſce ſtudioſis pro viribus conſuleremus, rarumque aliquod ad imitandum, quod non alibi facile occurreret, exhiberemus eloquentiae ſpecimen; perelegantem & auro contra non caram ad calcem heic opponendam curavimus orationem ab immortalis memoriae viro Carolo Majello concinnatam: cujus ſane viri eximiae litteraturae laus longe illuſtrior eſt ac pervulgatior, quam ut ornari verbis aut praedicari debeat. Ex hac igitur quantivis praetii oratione non minima certe omnes colligent emolumenta, ſi & eam ſaepe perlegerint, & quaenam ſibi ratio, in argumentis praeſertim antiquitati inauditis, tenenda ſit, inde diſcere accurate ſtuduerint.

ORA.

ORATIO

HABITA IN SACELLO PONTIFICIO

V. Kal. Decembris A. D. MDCCXI.

A CAROLO MAJELLO

Ab intimo SS. Domini Sacello & altero Bibliothecae Vaticanae Praefecto

IN FUNERE

EMINENTISS. & REVERENDISS. DOMINI

S. R. E. CARDINALIS

CAROLI THOMAE

MAILLARD DE TOURNON

Apoſtolici ad Sinas & Indias Orientales Legati.

TANTA mihi, Beatiſſime Pater, in hodierna celebritate oboriuntur argumenta laetitiae, ac tantus Apoſtolicae virtutis ſplendor affulget; ut hic funeris ornatus ad triſtitiam inſtructus, qui ceteris mortuorum laudationibus ſuffragari conſuevit, inviſus orationi meae, atque importunus objiciatur. Nam qui antea ex hoc loco, indictis exſequiarum honoribus, virorum principum memoriam ſupremo laudis officio ſunt proſequuti, cum Chriſtianae rei jacturam pleraque oratione deflerent, funebrem tumuli apparationem nacti ſunt moeroris ſui ſenſibus obſecundantem. Mihi vero ſacrarum rerum non detrimenta, ſed eximia quaedam triumphi ſpecies in ipſa mortis recordatione obverſatur. Dicendum eſt enim de immortalis memoriae Viro S. R. E. Cardinale CAROLO THOMA MAILLARDO DE TOURNON, qui rebus ſapienter & fortiter ad extremum uſque ſpiritum geſtis, in aſperrima Sinenſi & Indica expeditione, mirificum propagandae Catholicae Religionis ſtudium praeſtitit, ac Sedis Apoſtolicae auctoritatem & jura vindicavit. Cujus itineri-

ribus, periculis, aerumnis, morborum mortiſque cruciatibuspro Dei gloria ſummopere appetitis, atque alacri animo exceptis ac ſuperatis, ſicut nihil eſſe potuit Chriſto ſpectatori: jucundius, ita nihil eſſe debet ad excitandum omnium Chriſtianorum, atque adeo hujus ſanctiſſimi conventus hilaritatem vehementius. Jure itaque optandum erat, ut Militem Chriſti nec maris, nec barbariae, nec mortis diſcrimina pertimeſcentem triumphali potius ritu apparatuque, trophaeis, imaginibus, litteriſque factorum teſtibus magnifico opere exſtructa mole exhiberemus: praeſertim quod ita non ſolum juſta fortiſſimo Athletae officia ſolverentur, ſed mea quoque laudantis infirmitas plurima ope relevaretur. Nam quaecumque mihi verbis aſſequi non licet, ipſa pompae inſignia oculis & animis effingerent & inferrent; nec rerum magnitudini quidquam loquendi inopia detractum iret. Sed quoniam divino conſilio datum eſt, ut optimi Cardinalis egregia virtus inter adverſa potiſſimum emineret; ſentio memoriam illius & gloriae curſum vitae curſibus obſequentem, cum recordationi rerum geſtarum nulla artis ſollertia opituletur, imo adverſantem illa patiatur oratoris infantiam. Eo tamen fiet, ut hihil de claritate meritorum aut imagines, aut ſigna, aut eloquentia ſibi decerpant. Turnonium igitur ſolis divinorum beneficiorum luminibus expreſſum attendite, imo expreſſum in eo Evangelici Miniſtri ſimulacrum, atque una divinae ſapientiae triumphos, quae certamen forte dedit illi, ut vinceret. Hujus ego certaminis ubi fuero multiplicem, aſperam, atque inuſitatam conditionem exſequutus, tunc omnes intelligent, quibus armis victor e pugna vitaque Carolus Thomas exceſſerit.

Nihil habuit antiquius, Pontificatu inito, CLEMENS XI. quam ut ad extremas Sinenſis Imperii, & Indiarum Orientalium plagas Apoſtolicam providentiam intenderet, ubi primordia Chriſtiani nominis ad ſpem uberrimae ſegetis ſuboleſcentia ſenſerat diaboli dolis & artibus attentari; atque interceptum prope Evangelicae doctrinae iter ut explicaret, nihil pietati, vigilantiae, conſiliiſque ſuis reliquum fecit. Intelligebat Pontifex ſapientiſſimus, in tanta locorum diſtantia, atque ultimis illis terrarum mariſque receſſibus naſcenti Eccleſiae rite proſpici non poſſe, niſi qui auctoritate valeret, in rem praeſentem veniret, & populorum ritibus, caeremoniis, moribus exploratis, depravata emendaret, turbas incrementa Religionis interpellantes extingueret, & tradendi Evangelii explanatam regulam praeſcriptionemque proponeret. Quo ipſe pontificali ardore aeſtuabat, palam profeſſus eſt nihil ſi-

bi gratius fuiſſe futurum, quam ut provinciam illam vere apoſtolicam praeſens obiret; viamque ſollicitudine omnium Eccleſiarum interclusam indoluit. Quem igitur unum ampliſſima poteſtate auctum delegaret, a Deo Patre luminum diuturnis precibus cum flagitaſſet, in Carolum Thomam Turnonium ita oculos conjecit, ut divino quodam inſtinctu ad illum deligendum excitari ſe, urgeri, impellique affirmaret. Turnoniae gentis nobilitas non pietate minus, quam vetuſtate & honoribus commendatiſſima, & majorum exempla, qui ſtrenua & fideli opera ſeſe, & Romanam Purpuram celebraverunt, indolem Caroli Thomae ſacris laboribus deſponderant. Excultum eccleſiaſticis ſtudiis ingenium, jam antea lauream Theologiae & Canonici juris commeritum, mores ad ſummam religionem compoſitos, traductam aſſiduis innocentiae argumentis aetatem, animi candorem, fidem, ſapientiam, fortitudinem, ac ſummum Dei gloriae amorem perſpexerat Sanctiſſimus Pontifex, tum praeſertim, cum ſacri Cubiculi honore donatum iis negotiis tranſigendis probavit, unde divinis rebus maxime conſultum vellet; quo illum ratus eſt nullis humanarum neceſſitudinum rationibus periculа novae militiae detrectaturum. Et quidem praeter modeſtiae obteſtationem, qua ſe votis ejus imparem faſſus eſt, opinione alacriorem invenit, oblataque difficultatis ſpecie non deterritum, ſed provocatum, atque imperatis ultro obſequentiſſimum.

Non haec levia fuere certaminis proludia, ſed cum aerumnarum conſerto agmine congreſſus acerrimus. Tunc ille tota acie conflixit & debellavit, cum ſimul omnia animo objecta pro Chriſto contemſit, quae deinde ſingula in laborioſiſſimo curriculo ſuſtineret, adverſam valetudinem, longiſſimos & infeſtos curſus navigationis, inhoſpita maria, barbaras terras, efferatas gentes, ancipitem acceſſum, reditum vix ſperandum. Quanti ea duceret Carolus, ſatis oſtendunt litterae illae, quibus Marchionem Turnonium parentem ſuum rei totius certiorem fecit; quas cum ſaepius relego, veterum Confeſſorum magnanimitatem repraeſentantes, D. O. M. gratulari geſtio, quod in Eccleſia ſua nova ſemper inſtauret exempla virtutum. Cum enim nullas vitae illecebras ſibi cunctationem obtuliſſe, ac beatiſſimam ſortem futuram ſcripſiſſet, ſi pro Apoſtolica Romana Religione mortem occumberet, Patrem oravit, ut Abrahami virtutem imitatus, ſacrificium filii merito ſuae alacritatis augeret, & quam filio vitam dederat, Deo auctori libens offerret. Nimirum tantum aberat, ut ſuorum deſiderio retardaretur; ut illos potius ad foedera pieta-

pietatis incenderet; nec jura ſanguinis ultra valere pateretur, quam ad Chriſtianae obedientiae ſanctiſſimam communionem.

Salutem igitur commendatarum ſibi gentium anhelantem, & Patriarcham Antiochiae renuntiatum CLEMENS XI. Epiſcopalibus ſacris initiavit auſpicatiſſimo die S. Thomae Apoſtoli, cui imbuendi Chriſtianis myſteriis Indi Orientales ſortito evenerant; quo feſto die Carolus Thomas fuerat in lucem editus, Deo deſtinante, Thomae Apoſtoli provinciam & ſollicitudinem ſubiturus. Mox omni humanarum curarum impedimento explicatus, & perſolutis Chriſtianae caritatis officiis, amicos, conſanguineos, Urbem, patriam, demum non amplius repetendam ſuprema ſalute impartivit; & quo per CLEMENTEM a Deo legabatur, relictis omnibus ſequutus eſt Chriſtum. Hac quidem magnanima rerum cariſſimarum abdicatione ſancti plerique viri in Chriſtianis caſtris confecere ſtipendia ſanctitatis; & cum propter nomen Chriſti ſua reliquiſſent, uno illo fecundo praelio perfuncti, evocati ſunt ad coronam. Sed ubi veteranis militibus propoſita ſunt ultima experimenta virtutis, ibi Carolo Thomae poſitum eſt militiae tirocinium, imo potius auctoramentum. Nondum enim ad ſibi commiſſa externa & tranſmarina bella ſe comparaverat, cum inteſtina prius & domeſtica naturae & ſanguinis oppreſſit & profligavit, inde auſpicatus ſtadium laboris, ubi metam Evangelicae laudis alii tenuiſſent.

Sed jam abeuntem, atque ad Indias properantem CAROLUM oratione proſequamur inter ea immenſi Oceani pericula, quorum ſola cogitatione exhorreſcere conſuevimus. Saepe illi quidem in longa multorum menſium jactatione, inter incredibiles moleſtias de capite dimicatum eſt; ſemel tamen teſtatiſſima Dei ope ſervatus eſt, cum conclamata omnium ſalute, ſe Chriſtianis praeſidiis & vectores ad mortem ſubeundam communiſſet. Pelago enim maxime ſaeviente, ubi TURNONIUS ſacroſanctae Crucis ſignum Chriſtiano more turbinibus objecit, repente concidit vis tempeſtatis; ut vitam quidem pro Chriſto impendendam ad illuminandas provincias afferret, nec illi multiplicata contemtae mortis victoria ſubduceretur, antequam cum hoſte decerneret. Cui ſcilicet datum erat, non, ut aliis commilitonibus Chriſti, irruentes modo hoſtes bello refutare, ſed abditos laceſſere, & per plurima certamina imperium ſuperſtitionis quaerere, cui ſigna & arma veritatis inferret.

Inter maxima navigationis incommoda illud unum triſte accidit CAROLO, quod contracto morbo, cujus pertinacia diutiſſime vexatus eſt, metueret, ne qua mora ſacris laboribus

bus occurſaret. Vicit tamen languorem corporis animi robur; nam ubi Inſulas optatiſſimas attigit, quamquam ſaepe affectis viribus decumbere cogeretur, non ad valetudinem reparandam, ſed ad ſalutem populorum curas advertens, ut ſanctitas verae religionis ſanctiſſimis vitae exemplis commendaretur, incredibile dictu eſt, quibus virtutum argumentis, qua benignitate, qua vigilantia, qua liberalitate, quo fluxarum rerum neglectu Evangelicum opus cunctis probaverit. Eccleſiarum neceſſitates explorare, inopiam levare, obſtantia removere, excitare reſides, fovere alacres, & leges ſapientiſſimas augendae Reipublicae Chriſtianae praeſcribere; ut hominem tamquam e caelo ſibi demiſſum univerſi ſuſciperent, qui non ſua quaereret, ſed quae Jeſu Chriſti; qui forma factus gregis ex animo, ut maxima dignitate ceteris praeluceret, ita contentiſſimo labore omnibus anteiret, & bonum certamen Fidei certaret, ut apprehenderet vitam aeternam.

Inſulis luſtratis, Sinenſi tandem litori appulit, atque agrum illum, quem venditis omnibus comparaverat, ſponſamque ſibi ſanguinum futuram conſalutavit. Terrae vix expoſito novum belli genus, durius illud quidem & periculoſius oblatum eſt, potentiſſimo Sinarum Imperatore in omnes honores effuſo, & Magiſtratibus populiſque in cultum & obſervantiam Apoſtolici Legati certantibus, Regiae menſae adhibitum ſingularibus honorificentiae ſignificationibus pro more gentis Imperator accepit; ejuſque ſapientiam, officia, dictorumque gravitatem demiratus gratias inquit ſe ſummo Pontifici habere maximas, quod tantae prudentiae virum ad ſe legaſſet; tum magnificis muneribus tam large cumulavit, nihil ut voluntatis & benevolentiae deſiderandum ſupereſſe videretur. At Vir Apoſtolicus, qui legatione pro Chriſto fungebatur, nec honores aut opes conquiſiturus Sinenſes regiones obibat, invictum animum inter honoris blandimenta geſſit, quem inter adverſa ſervaverat. Imperatorem enim de Chriſtiana Religione percunctantem, pro tempore ita excepit, ut nec veritati deeſſet, nec de conſtantia decederet; atque ethnici quidem hominis errores aperiret, temeritatem vero judicii declinaret.

Quamobrem ſuccenturiatae hactenus poteſtates tenebrarum in apertam vim ex occultis inſidiis eruperunt. Imperatoris edictum de Sinenſium ritibus affertur, cui Legatus Apoſtolicus obedientiam profiteatur. Poſtulationem a canonicis inſtitutis abhorrentem & Romanae Eccleſiae refragantem deteſtatus Turnonius, in repentinam, nec improviſam temporum aſperitatem conjectus eſt. Extemplo enim fraudulenta Aulae

benignitas in virulenta odia conceſſit; minae ubique atrociſſimae perſtrepuerunt; & offenſiones Imperatoris ac gentis aviti erroris tenaciſſimae extrema omnia denuntiabant. Turnonius, quamquam ad impetum coorti turbinis moleſtiſſima corporis aegritudo acceſſiſſet, nihil omiſit, quo impendentem Eccleſiaſticae vineae vaſtitatem everteret: ſed cum ſecum reputaret, Cruce Chriſti ſubnixam Eccleſiam Confeſſorum aerumnis increbuiſſe, ſuos hortatus, ut magno animo hoſtem opperirentur, adeſſe ſibi diem, quem votis expetiverat, atque inter rudimenta Sinenſis Eccleſiae primaeva Chriſtianorum tempora renovata eſſe gratulabatur. Conſuetis ergo ethnicorum calumniis appetitus, quod publicam quietem perturbaret, toto Imperio proſcribitur; minaciſſimae litterae proſcriptionem comitantur; litteris terror necis adjicitur; necem vero ipſam inſultantium ludibria acerbitate ſuperarunt. His fluctibus agitatus, columbae ſimplicitate, & ſerpentis prudentia, quas ex Evangelio expreſſerat, primum modeſtiſſima epiſtola apud Imperatorem illatas calumnias depulit; tum tuendae Religioni intentus, de abolendis Sinenſium ritibus Apoſtolicam ſententiam edictis propoſuit; & rem periculi plenam, quam favente Aula vix experiri licuiſſet, aggreſſus eſt, Rege & Regno furente, & nequidquam ſilentium indicente, cum, Apoſtolis docentibus, non poſſet, quae audiverat, non loqui.

Quantam ipſe rebus ſuis pugnam cladem que conciret, non ignorabat; ſed officii duxit, ut, Religione periclitante, in caput ſuum potius perniciem arceſſeret. Neque enim facere poterat, quin Miniſtros Eccleſiae regio accitu ad Aulam commeantes, de contaminatis caeremoniis reſponſuros, ad omnem inquiſitionis ſubtilitatem iuſtrueret; quippe quem non prudentia carnis erudiverat, ut ementitae dexteritatis nomine tempori cederet, cum fierent greges in rapinam, & oves in devorationem; ſed Clementis praecepta, & Dei verba informaverant, ut gladio veniente ſpeculator buccina inſonaret, ut adſcenderet ex adverſo, & murum opponeret pro domo Iſrael. Heu terras deplorandis tenebris conſepultas, futuras quidem tanto cultore beatas, ſed illo ejecto voluntaria caecitate & ſempiterno exitio miſerandas, qualem veritatis praeconem & vindicem pepuliſtis! Quibus luminibus populos veſtros orbaſtis! Quid vineae ſuae, qui vobis redimendis ultra facere CLEMENS Paterfamilias poterat? Servos alios comprehendiſtis, alios caecidiſtis; noviſſime filium ſuum, cujus dignitatem ſperaverat verituras, diro exilio multaſtis. Non ille Regni pacem turbaturus advenerat, ſed Evangelio pacis truculentam diaboli tyrannidem everſurus. Illatum tamen veſtrae

ſtrae captivitati bellum vivens ipſe non deferet, moriens redintegrabit,& morte obita ſperare licet caeleſti praeſidio confecturum.

Ad initia demum teterrimae pugnae devenimus. Quamquam enim ſatis ad coronam certatum eſſe videatur, nondum tamen certamina commiſſa ſunt Turnonio digna, & heroica dumtaxat fortitudine ſuſtinenda. Machaonenſem ad urbem in cuſtodiam Imperatoris juſſu tradendus Patriarcha deportatur: qua in arena Pugilem Chriſti per duriſſima quaeque inferorum rabies exercuit. Senſit tamen verbum Dei non eſſe alligatum, neque ullis poſſe vinculis mancipari Chriſtianam libertatem, cum vidit decretis, legibus, auctoritate, oppreſſoribus imperantem, & ex ipſa adverſorum conflictione erectiorem. Quare humani generis hoſte in omnem atrocitatem excito, ut ſeveriori animadverſioni praetexerentur cauſſae, novorum criminum Carolo Thomae conflata eſt invidia. Miſſa militari manu cum urgeretur, ut ſe omni juriſdictione Legationis abdicaret, conſueta animi praeſentia reſpondit fidem Sanctae Sedi obſtrictam ſibi eſſe vita ipſa potiorem, animamque ſe libentiſſime daturum, ne debitae Romano Pontifici obedientiae derogaret. Tunc imperata facere abnuenti, tamquam novi maleficii reo, ſententiam cuſtodiae arctioris inducunt; ſtatione pro foribus excubante, occluſi aditus; interdicta commercia, atque abrogata per ſummam temeritatem Apoſtolico Legato omnis auctoritas. Tum atrociori crimini datum eſt, quod tres ex inclyta Praedicatorum familia divini operis miniſtros eadem tempeſtate jactatos, cum egeſtate miſerrima agerentur ad interitum, reficiendos excepiſſet. Haec eſt delictorum gravitas, quae integerrimum Patriarcham in novam malorum colluvionem peſſumdedit; his fidei & miſericordiae ſenſibus, quos Religio & natura animis indidit: tanto inimicorum odia conflagravit: qui tamen ejus laudi ſerviunt, etiam cum facinora objectant; nam crimina ipſa, quae ſuppliciis vindicarunt, ad perpetuam TURNONII commendationem redundabunt.

Tantis cum malis TVRNONIVS integris adhuc viribus luctabatur, cum CLEMENTIS XI. judicio, & bonorum omnium praeconio palam emeritus, Romana Purpura donatus eſt, quo die Petri vincula ſolemni ritu venerabatur Eccleſia; tamquam Beatiſſimus Apoſtolorum princeps ſocium vinculorum, gloriae quoque ſocium deſignaret. Ex eo tamen collatae dignitatis beneficio ad CLEMENTEM quidem juſtae laudes, ad ceteros ſumma laetitia, ſola vero ad CAROLVM THOMAM novorum fluctuum procella pervenit. Delata enim honoris inſignia cum accepiſſet, tanto furore ad illum

perdendum bacchati ſunt hoſtes, ut auſpicia fundendi ſanguinis, novo Purpurae ſacramento ſuffragante, laetabundus amplecteretur. Fugam illum moliri, atque in Europam cogitare comminiſcuntur; eoque obtentu, ita praeſidio vallatae ſunt aedes patientiſſimi Cardinalis, ut negata etiam cibis inferendis via, longa fame tabeſceret. Quos interea inſultus, quae probra, quae convicia devoraverit, praetermittere animus jubet, quem ſatis diu contriſtavit commemoratio deteſtandae crudelitatis.

Tempus eſt ut ad ſpectaculum Chriſtianis & Angelis pulcherrimum oculos convertamus, & admirabilem Turnonii tranquillitatem inter tantas furentium turbas intueamur. Sunt enimvero inhabitantis virtutis Chriſti effectus inſignes, quos non mundi ſapientia, ſed Crucis ſtultitia intelligit, gloriari de contumeliis, ſuperabundare gaudio in omni tribulatione, mortem ambire, & omnia tormenta diaboli provocare. Hos fructus Crucis dulces gutturi ſuo cum deguſtaſſet Turnonius, nihil aliud verebatur, quam ne ſibi eriperetur corona ſupplicii. Quare litteris abſentes, crebris ſermonibus familiares obteſtabatur, uti a Deo impetrarent, ne confeſſionis ipſi curſus interſiſteret, & oppetendae mortis opportunitas dilaberetur. Hinc inflammata illa virtutis aemulatio, ubi audiſſet quempiam ſuorum Chriſti paſſionibus communicantem. Hinc literae illae divinum ignem ſpirantes, quibus eos ita ſolabatur, ut deſiderio tantae felicitatis confici videretur. Hinc interpellationes apud amicos, quos timeret pugnae ſuae interventores. Cum enim reſciviſſet Praefectum Inſularum, quas Philippinas appellant, apud Imperatorem Sinarum per litteras queſtum eſſe, quod Sanctae Eccleſiae Cardinalis tam indigne haberetur, gratias illi plurimas egit, quod Eccleſiaſticae cauſſae patrocinium ſuſcepiſset, hortatus praeterea ut omnem certantis ſollicitudinem deponeret, neque putaret, ſe in palaeſtra tolerantiae defatigatum. Hinc preces, quibus ſatellites ipſos oravit, ut ſibi quoque vincula injicerentur, cum vidit interpretem ſuum in ea, qua vehebatur, navi, Imperatore jubente, catenis conſtrictum: quod cum exorare nequiſſet, catenas ſaltem ſtrenui viri iterum & ſaepius obortis lacrymis oſculatus eſt. Ejus certe rei, quam dicturus ſum, minorem fidem faceret oratio mea, niſi Clementem XI. haberemus teſtem & laudatorem. Plerique putabant fore, ut honor purpurae eo maxime Turnonio gratus accideret, quod intelligeret, ſe aliquando e barbarorum manibus, atque in portum e naufragio revocandum. Sed qui mirabilia & humanis ſenſibus impervia operatur Deus, Turnonium reddidit alia

omnia

omnia ſentientem: metus enim, ne ab ea dignitate ſibi patientiae diuturnioris palma extorqueretur, ſummo dolore affectum impulit, ut apud Sanctiſſimum Pontificem ſuppliciter enixeque ab ſe deprecaretur mandati honoris amplitudinem, atque apud alios collocandam rogaret, ſi de ſuſcepta provincia & agone decedere cogeretur; quod mallet carceris ſqualore & ignominia Crucis, quam ſplendore dignitatis ornari. O virum maxima dignitate majorem, dignum plane, quem Clemens ad pugnam emiſerit, & ad praemia vocaverit! quem Chriſto confixum Cruci nec ludibria divellerent, nec honores abſtraherent, qui omnia arbitraretur detrimenta, ut Chriſtum lucrifaceret; qui ſic curreret, ut comprehenderet; ſic pugnaret, non quaſi aerem verberans, neque ut corruptibilem coronam acciperet, ſed incorruptam.

Hujus coronae opifices cum adverſarios ſuos exiſtimaret, caritate Chriſti adigebatur, ut etiam pro perſecutoribus oraret, eorumque cauſſam ageret non ſolum apud Deum jugibus lacrymis, ſed etiam apud homines maximis officiis. Cum Prorex Cantonenſis Magiſtratum (Mandarinum vocant), qui tanta in Legatum ſaevitia uſus erat, re comperta, ſpoliare praefectura non ſine mortis comminatione decreviſſet, interceſſit vir clementiſſimus, ac offenſiones beneficiis rependens, gratiam pro contumelia retulit, & cui deberet confeſſionis dignitatem, Magiſtratus honorem reſtituit. Augebat hanc Spiritus Sancti flammam certa fiducia, quae Cardinalem Religionis obſidem, & captivum vinctum in Domino, praecepto gaudio conſolabatur; futurum ſcilicet, ut per tantam laborum perpeſſionem de Satanae inſidiis Eccleſia triumpharet; ſecum feliciter actum putans, ſi quocumque mortis ſuae genere revocandis ab errore Sinenſibus provideretur. Quod quidem verbis factiſque luculentis, ſed maxime omnium ultima voluntatis conteſtatione praeſetulit; qua cum pauperibus nomina fratrique ſuo Crucem legaſſet, opus propagandae apud Sinas Religionis heredem inſtituit; qui quamquam terris ereptus, per Miniſtros Eccleſiae ad veritatis agnitionem Sinenſes adduceret, a quorum ſalutis amore nullis injuriis avocari poſſet. Diſpenſabat enim ultima officia Spiritus Chriſti, ut pauperes ſibi caritate, conſanguineos in Cruce conjunctos agnoſceret, Sinenſium autem redemtionem cunctis rebus anteferret. Ita Religionis ſtudium, quod cum Crucis amore & miſericordia in pauperes totius vitae rationes adminiſtraverat, ſupremas etiam tabulas obſignavit.

Vicere tandem Turnonii preces, quibus tam ſollicite obſecraverat, ut in Sinenſi expeditione curſum conſummaret; quamquam Beatiſſimus Pontifex omnes auctoritatis nervos

intendiſſet, & ſumma ope, verbis, litteris, officiis niſus eſſet, ut cariſſimum filium in libertatem vindicaret. Ne quid autem de conſortio Crucis abeſſet, ſub poſtremos triennalis cuſtodiae menſes vehementiſſimis viſcerum doloribus diſcruciatus eſt, quos ex tantis moleſtiis hauſerat, quoſque potiſſimum ab alienae caecitatis commiſeratione ſuſceperat, identidem confeſſus, illam omni ſenſu doloris ſibi eſſe amariorem; donec ſacratiſſimo die Pentecoſtes, quo promulgandi Evangelii Chriſtianaeque legis colebantur initia, poſtquam in Sacellum, lethali languore fruſtra obnitente, delatus eſſet, & ſacroſanctis Myſteriis interfuiſſet, viatico Corporis Chriſti refectus, atque in lectulum reportatus, extrema vi morbis correptus eſt: tum ſacrae Vnctionis praeſidio armatus e tanto conflictu, e vinculis, exilioque, ut a Domini benignitate & Militis virtute ſperamus, ad caeleſtem Jeruſalem, quae libera eſt, convolavit.

Jam nihil eſt, invictiſſime Cardinalis, quod, te abeunte, orationem noſtram in terris illis ingratiſſimis ultra detineat; ubi jam nihil erat, quod te ad gaudium Domini tui properantem diutius moraretur. Nihil tibi tentandum, nihil tolerandum, nihil vincendum ſupererat. Quidquid conari poſſet natura in blanditiis, metus in periculis, valetudo in doloribus, exilia & carceres in anguſtiis, opprobrium in contumeliis, deviceras. Animam pro Religione devoveras, atque in omnes partes heroicis coeptis reſponderas, Apoſtolorum curſus, Martyrum conſtantiam, Pontificum ſollicitudinem, Doctorum labores imitatus, erroribus propulſandis, diſciplina reſtituenda, ſuppliciis preferendis, & Chriſti lege coram Regibus & gentibus praedicanda. Te quidem Roma praeſtolabatur de praelio revertentem complexura; ſed clarior erat victoria, quam ut caeleſtem triumphum terreſtri ovatione praeverteremus. Beatiſſimum Patrem tuique amantiſſimum, ad cujus pedes & amplexus remeare non potuiſti, & Fratres tuos Cardinales ampliſſimos, quos in gratulationem obvios habere non licuit, habes ad nominis tui ſplendorem & ornandam memoriam meritorum geſtientes. Quamquam vero praeclariſſima rerum monumenta partim carceris tenebris oppreſſa, partim intervallis itinerum intercepta deliteſcant, pauca tamen, quae quaſi erumpere & manere potuerunt, gloria purpuram, virtutibus Eccleſiam, poſteritatem exemplis locupletabunt. Nec ulla vetuſtas in laudibus tuis Dei laudes reticebit, qui te dederit in murum aereum populo terrae, ut bellantes adverſum Te non praevalerent; qui Te fecerit columnam in templo ſuo; & quem, ſicut pie credimus Tibi vincenti dediſſe in triumphanti Eccleſia manna abſconditum, ita daturum ſperamus etiam in militanti nomen novum.

AD

AD SANCTISSIMUM DOMINUM

INNOCENTIUM XII.

PONTIFICEM MAXIMUM

ORATIO

CAROLI MAJELLI

Seminarii Archiep. Neapol. Alumni
Anno Domini MDCXCIX.

ARduam profecto, Beatiſſime Pater, maximeque ſollicitudine diſtrictam animarum curam quo Paſtores Eccleſiae alacrius ſuſciperent gererentque, nihil ad acuendum vehementius excogitari poſſe reputavimus, quam ut, poſt digeſtas in Provinciali Concilio ſui muneris partes, vitae tuae rationes, pro Sancta Dei Eccleſia aſſiduis laboribus exercitas, illis ob oculos objiceremus. Quaecumque enim aut terrere animos, aut frangere conatus poſſunt, cum abs Te fortiter ſuperata intellexerint, commendatas ſibi provincias quo ſtudii ardore capeſſere debeant, plane perſpicient. Nam ita, Beatiſſime Pater, ipſi ſtatuimus, in Te uno abſolutiſſimum Paſtoralis animi exemplar Divinam Sapientiam effinxiſſe; cum quiſquis res tuas aeſtimaverit, omnia veterum Patrum facinora, & florentiſſimorum ſeculorum decora intueri ſibi, complectique videatur; imo ſi omnem ſuperioris aevi memoriam, & vetuſta Eccleſiae monumenta luſtraverit, neminem unum inveniet, cujus res geſtas cum tuis aut temporis diuturnitate, aut regionum diverſitate, aut munerum varietate, aut negotiorum diſcrimine, aut conficiendi felicitate contendat. Tuum igitur erit, Beatiſſime Pater, ut quos Eccleſiaſticorum animos ad diſciplinam caritatemque ſacratiſsimis inſtitutis ac legibus Sancta Provincialis Synodus acrius excitare ſtuduit, virtutum tuarum documentis atque Apoſtolicis exemplis amplius inflammes; iique omnibus ſeſe praeſidiis ſuppeditatos ſentiant, quos ad Dei gloriam tum Sacrorum Canonum ſcita provocent, tum factorum tuorum incitamenta compellant.

Ac primum quidem nemo eſt qui ignoret, quibus initiis, ac fundamentis ad tantam virtutis molem excitaris. Franciſco enim Pignatello Principe Minervini, & Portia Caraſa e

Du-

Ducibus Andriae in lucem editus ſub hujus religioſiſſima diſciplina prima pueritiae rudimenta tranſegiſti. Quam autem ſollicitudinem in tua inſtitutione ac pietatis tirocinio illa non adhiberet, quae duobus fratribus germanis Vincentio & Aloyſio virtute non minus, quam genere conjuncta, ab illorum celeberrimis exemplis nunquam deceſſit? quorum alter ſocietatem Jeſu, quam ſumma conſilii ac probitatis laude adminiſtravit; alter Congregationem Caſſinenſem Abbas, tanta Chriſtianae virtutis ac ſanctitatis fama celebraverunt, ut eos aliquando Sanctorum faſtis adſcriptum iri firmiſſime teneamus. Horum igitur mores cum Portia referret, ſuam fratrumque ſuorum pietatem exprimere conabatur in filio; cujus religionis primordia non ſine divino numine ad integerrimum tam cumulatae virtutis exemplar effingebantur; ut vel ipſa aetatis initia inter heroica inſignia conſueſcerent, cum exempla in Eccleſiaſtici Imperii ſpecula longe lateque aliquando coruſcarent. Neque profecto ab hujus ſeveritate diſciplinae tuum, Beatiſſime Pater, abhorrebat ingenium; nam hilaritatem gravitas, oblectamenta pueritiae innocentia commendabat, mentis conſilium ac virtutis ſtudium annos praecurrebat.

Cum dignum propterea Mater optima videret, qui ad ſpem maximam educareris, eidem Vincentio avunculo tuo adoleſcentiae exercitiones permiſit; ut non ſolum praefulgentibus in paterna maternaque familia imaginibus, & maxima utriuſque gentis gloria, ſed collatis etiam diſciplinarum ſtudiis ad rem publicam capeſſendam inſtruereris. Igitur eo auctore in Romano Seminario Eccleſiaſticae Inſtitutionis rudimentis imbutus atque ad humanitatem informatus, eloquentiae cum primis ubertatem optimis praeceptionibus arripuiſti, quam ad foedera jungenda, animoſque flectendos privatim publiceque apud Reges, Conventuſque celeberrimos eras adhibiturus. Utque ad res humanas, divinaſque adminiſtrandas omnibus Te diſciplinarum praeſidiis componeres, ad Jus utrumque cognoſcendum operam traduxiſti; ſuſceptaque in Neapolitano Collegio laurea, laboribus, vigiliis, periculiſque pro Dei gloria fortiter occurriſti. O diem illum, Beatiſſime Pater, ad Patriae tuae laetitiam ſempiterna memoria conſignandum! cum ad tantarum rerum molem, Deo vocante, properantem Te ſuis moenibus Neapolis emiſit. Flevit illa quidem, ac tacita pietate ab ſinu ſuo deliciiſque Te avulſo ingemuit; cum ea aetate provinciarum duriſſimarum diſcrimina appetentem vidit, qua plerique otio inertiaque tabeſcentes patriae fortuna frui malunt ad ignaviam, cum uti poſſint ad gloriam. Itaque ſublatis ad Caelum oculis, ut Deus O. M. ma-

majorum gloriam, civiumque nobilitatem tua virtute extenderet, obſecravit. Quantum autem caritatis ſuae fructum cepit, cum Te pubeſcente aetate penitus in rempublicam ingreſſum accepit, qua quidem nemo illam auderet attingere? Atque ineunte juventa, iis muneribus humeros ſuppoſuiſſe, quibus ſpectata ſaepe aliorum aetas ſuccumbere formidavit? Nam vigeſimum aetatis annum vixdum exceſſeras, cum ingenii tui fama late manante, atque Urbano VIII. ad Te in cauſſis referendis audiendum excito, poſt expletam tanti Pontificis expectationem, ejus juſſu vicariam Urbini legationem adiiſti; quae tametſi recens Eccleſiaſticae ditioni ceſſiſſet, nec inſuetum novo imperio gentis ingenium, nec aetatis tuae infirmitas Pontificem retardarunt, quominus firmum illi praeſidium in conſilii tui magnitudine paratum exiſtimaret.

Ceterum, quae in ea re gerenda, totaque regione Pontificio mandato luſtranda, annis ſollicitudo praevertebat, gravioribus Te curis objecit. Illa vero admirandum in modum eluxit, cum ſub Innocentio X. Melitam Fidei Quaeſitor conceſſiſti. Ibi enim cum cuncta offendiſſes tantis turbis miſceri confundique, ut res ad extrema omnia ſpectare videretur, mira dexteritate ita univerſa explicuiſti, ut & Inſulae tranquillitatem afferres, & Romanam Aulam ingenti ſollicitudine liberares; adeo ut Magnus Hieroſolymitani Ordinis Magiſter, cum aſſertum ſui Ordinis ſplendorem tuae virtuti referret acceptum, ſigna Tibi in magno S. Joannis templo excitanda praedicaret. Neque ulla certe tantorum beneficiorum, quaeque a Pontificia deinde munificentia erga inclitum Ordinem uberius emanarunt, memoriam delevit oblivio; quibus nuper Equites nobiliſſimi immortale grati animi monumentum aeneam ſtatuam excitarunt.

Magnis igitur in dies auctibus conſilii tui fama increbeſcente, aliae aliis provinciae ſe ſe ſuggeſſerunt, ac Melitenſi decedentem Viterbienſis excepit, quae recenti Caſtri acceſſione juſtam provinciam aequare videbatur. Viterbienſi perfunctum, Apoſtolicum Nuncium Florentia complexa eſt. Commodum tum profecto, niſi unquam alias, Magni Ducis in Te benevolentia uſus, quantum ſolertia eloquentiaque valeres, edocuiſti; cum obortas ſimultates inter Ferdinandum Magnum Ducem, alioſque Italiae Principes in ſummum diſcrimen evaſuras compoſuiſti; quibus ſedandis ſummorum virorum ſtudia fruſtra fuerant; conflatumque diſſidentibus animis turbinem ita disjeciſti, ut Pontificias laudes ſingularibus literis, Magnique Ducis commendationem demereres. Ad Eccleſiaſticam autem, & Regularem diſciplinam inſtaurandam, quantus

tus in Te ardor efferbuerit, ipſa teſtatur Etruria, quae nunquam majorem fori integritatem, numquam illuſtriorem Religioſorum Ordinum honeſtatem vidit.

Sed ſubacta jamdiu, & maximis probata experimentis dexteritas, operioſiora Eccleſiae negotia cum regnis opulentiſſimis tranſigenda permiſit. Itaque Florentinae Legationi Polonica Alexandro VII. demandante ſubivit; tunc temporis, cum Polonia bellum atrox cum Coſacchis agitans in armis erat, atque omnium ordinum diſſenſionibus pene diſcerpta ingemiſcebat. Nulla tamen temporum gravitas ſolertiam tuam prohibere potuit, quin Regi Caſimiro, Regnoque univerſo, nec non Romanae Eccleſiae egregie probaretur. Nam adventus tui virtutiſque felicitas diſcordiarum incendia reſtinxit, gratiamque ab Rege tantam inivit, ut ſummo honori tuo contentiſſimo ille ſtudio velificaretur. Enim vero, ut tui ratio in proximis Cardinalium comitiis haberetur, etiam atque etiam nitebatur; cum Ipſe incredibili animi moderatione, quis crederet? illius operam excluſiſti. Quippe cum honores Tibi, non hominum favore gratiaque parandos, imo in ſola virtute collocandos ſtatuiſſes, ornandi tui opportunitates maximas non modo non captare & arripere, ſed ultro oblatas elabi atque intercidere patiebaris.

Sed aeternum prudentiae tuae monumentum illae regiones retinebunt, quod ubertimo cum religionis fructu tum primum ſuſceperunt, cum non ſolum in Epiſcoporum Schiſmaticorum conventu, verbis conſiliiſque diſſidentes inter ſe ſe ad concordiam, Romanique Pontificis fidem revocaſti; verum etiam, ut jactis optimarum rerum ſeminibus per cultores aſſiduos laetiſſima Catholicae Fidei ſeges proveniret, Clericorum Regularium ad illas Ordinem advexiſti, quibus Armeniae nationis adoleſcentes in catholica veritate eruditi, gentem univerſam in Romanae Eccleſiae fide retinerent. Adeo autem proſpere tua, Beatiſſime Pater, opera Eccleſiae ceſſit, ut cum reliqui populi ſuo in ſchiſmate praefracte obdoruerint, ea una Armenorum natio per Te exculta geſtiat Romanis legibus obtemperare. Jam tum nimirum fidei unitatem conciliare ſtudebas, quam eras Ipſe Apoſtolicae Petrae firmitate fundaturus; atque ex errantibus ovibus unum ovile colligebas, cui aliquando unus Paſtor praeficereris.

Maximum vero dexteritatis Tuae experimentum, quo nullum luculentius eſſe poſſit, tum demum cepit Eccleſia, cum Germanica Tibi legatione a Clemente IX. delata, illud etiam negotii dedit, quod rerum difficultate, & Caeſaris quoque

que judicio omnem humani conſilii aciem effugere videbatur, ut ſcilicet Burrium haereſiarcham, quamvis Proteſtantium principum opibus fretum, e medio Germaniae ſinu abſtractum, Romam in cuſtodiam mitteres. Ceterum nec adverſae factionis ſtudia, nec fama viri popularis, nec impenſarum magnitudo, aut Te deterrere, aut tuis illum conſiliis circumventum ſubducere potuerunt; eaque res maxima felicitate perfecta eſt, quae bonos omnes ſollicitos habebat; Caeſar vero quorſum evaſura eſſet, maximopere formidabat. Quantam praeterea integritate, prudentiaque ab Aula Caeſarea gratiam collegeris, vehementiſſima illius ad honores tuos ſtudia probaverunt, ut nullum propterea majus virtutis tuae argumentum edideris, Beatiſſime Pater, quam quod apud externos Principes, ita Eccleſiae rationes adminiſtraris, ut illis carus, & Eccleſiae utilis, eorum Tibi ſtudium ſine hujus detrimento adjungeres, & hujus amplitudini ſine illorum offenſione ſtuderes.

Emenſo autem tantarum provinciarum pelago, cum ad dignitatis tuae incrementa omnes intenderent, inauditae modeſtiae exempla praebuiſti. Etſi enim cuncti dilatos Tibi ſummos honorum gradus indigne ferrent, Ipſe tamen ad labores, non ad praemia laboris Te accitum exiſtimabas. Sed qui divino numine ad ſummum Eccleſiae regimen vocabaris, omnia Eccleſiaſticae militiae ſtipendia conficere debueras. Itaque paſtoralem ſollicitudinem in Lupienſi Epiſcopatu oblatam non detrectaſti. Tum certe tanto viſus honoribus dignior, quanto illis animo major videbaris; tantoque merere magis, quanto libentius, cum mererеris, carere potuiſſes. Eos quidem, quibus ceteri ad dignitates maximas pervenerunt, labores exhauſeras; aliorum curſus jam longe anteverteras; ſed non conſueto exercendus eras curriculo, qui omnium graviſſimo deſtinabaris Imperio, nec videri virtus tua debuerat humano judicio ad honores educta, ſed divino conſilio temporibus difficillimis reſervata. Igitur cum illos non tanti faceres, ut peteres, dignus habitus es, qui expetereris. Nam cum virtutis tuae deſiderium diutius Aula Romana ferre non poſſet, Lupienſi ab Eccleſia arceſſitum, Epiſcoporum primum, & Regularium negotiis, mox Pontificiae Aulae Magiſtrum, ſub Clemente X. praefecit; ut nulla eſſet Chriſtiana inſtitutio, quam non exploraſſes, nulla negotiorum diſcrimina, quae non excuſſiſſes: donec ab Innocentio XI. inter Romanae Eccleſiae Cardinales allectus, omnium animos in Te converſos, tuaeque fortitudinis admiratione perfuſos exhilaraſti. Tunc profecto, quam incenſa in Te omnium ſtudia forent, maxime intel-

tellleximus, cum ex dignitate tua inuſitata quaedam ad univerſos laetitia perveniret. Nimirum Tibi ex tanta laborum jactatione venienti tutum quietis portum in ampliſſimo Ordine gratulabantur. Verum non ſine ſollicitudinis additamento nova Tibi facta eſt dignitatis acceſſio. Nam Faventinam ſtatim Eccleſiam, quam pretioſa Sacelli tui ſupellectile, magnaque pecunia diſcedens locupletaſti, mox Bononienſem Legationem ſuſcepiſti. In quibus gerendis tuum Juſtitiae ardorem Innocentius XI. acerrimus diſciplinae vindex graviſſimo teſtimonio probavit, cum accepta maleficiorum quorundam acri animadverſione, Tibi pro cultu Juſtitiae adamantinum pectus ineſſe praedicavit.

Sed jam tempus erat, ut diuturnum Patriae tuae deſiderium conſolareris. Igitur ad Neapolitanam Eccleſiam ſuo Praeſule orbatam poſt longas preces, & vota, inter effuſos omnium ordinum occurſus, ac frequentiſſimi populi gratulationes Paſtor expectatiſſimus accurriſti; tantamque ad illam gerendam, tuendamq; vigilantiam contuliſti, ut expectationem maximam rerum geſtarum gloria ſuperarit. Quae enim abs Te praetermiſſa diligentia eſt ad excolendam Sanctimonialium diſciplinam? Ad amplificandum Eccleſiaſtici Ordinis ſplendorem? Ad augendam miniſtrorum abſtinentiam? Ad excitandam vehementius Sanctiſſimae Euchariſtiae religionem? ad quam populum etiam pro concione inflammare ſtuduiſti. Ad paranda animarum ſubſidia? cum pro expedienda Sacramentorum adminiſtratione Paroeciarum numerum, etiam detractis de menſa Epiſcopali reditibus, auxeris.

Sed effuſiſſimae liberalitati tuae, quam eo in Praeſulatu praeſtitiſti, quae par eſſe poſſit oratio? Quid hic primum commemoremus? vel quae tantae virtutis exempla, aut decerpamus, aut relinquamus? Egenorum multitudinem, an ſubſidiorum largitatem? Familias maleficiis ereptas, an verecundiae ſervatas? Aucta puellarum coenobia, an templa ſacris ornamentis inſtructa? Non equidem Tibi ſatis fuit, quod diſpertitis per ſingulas urbis regiones pecuniae tuae diviſoribus, omnium neceſſitatibus praeſto eſſes; niſi etiam ſecretis erogationibus honeſtiſſimas familias ſuſtentares; periclitantibus puellis veſtes, & alia pudicitiae praeſidia tribueres; aliis in religioſas domos, aliis in matrimonium datis, pietati conſuleres, & flagitia prohiberes; cumque nulla liberalitate caritas tua expleri poſſet, etiam ſupellectilem, & aurea vaſa diſtraheres, ut paupertati uberius ſubvenires.

Liceat hic Seminario tuo, Beatiſſime Pater, tantae liberalitatis in ſe beneficia, ſi minus magnifica oratione ornare,

grata ſaltem commemoratione percenſere; quae quidem tanto ſunt noſtra tenuitate majora, quanto ſunt tua benignitate digniſſima. Eſt enimvero pulcherrima nobis illorum temporum memoria, cum de noſtra inſtitutione ſollicitus, noſtris exercitationibus intereſſe, progreſſiones explorare, diligentiam acuere, verbis, ac praemiis diſciplinam accendere dignabaris. Tu noſtrum aliquot in Seminario tuis impenſis aluiſti. Tu aucto adoleſcentium numero Seminarii fines proximae domus acceſſione dilataſti. Tu vetuſtis aedibus reficiendis pecuniam tribuiſti. Tu aſſiduo benevolentiae ſtudio praeſidio nobis, & ornamento fuiſti; ad quos etiam ex Apoſtolico faſtigio oculos convertere non es dedignatus, ut Bibliothecae tuae dono ditares; ut partim Alumnos Eccleſiaſticis beneficiis, partim Miniſtros ſacris dignitatibus augeres; ut qualeſcumque in Eccleſiaſticis ſtudiis conatus benigniſſime exciperes; atque ità commendares, ut ea ad publicam utilitatem quamplurimis aperienda cenſueris. Nam ut frequentiori Alumnorum numero illa paterent, uberes ex Abbatia S. Joannis Majoris Seminario addicta reditus conceſſiſti; ut tua erga nos, Eccleſiamque noſtram benevolentia in maximo ſacrorum miniſtrorum proventu nulla unquam temporis vetuſtate deficeret.

Ad illa tamen noſtrae Civitatis tempora deveniendum eſt, quae maximis periculis ingruentibus tuam miſericordiam, ſolertiamque potiſſimum exercuerunt. Et quamquam nos teterrimorum temporum recordatio perturbet, tuae tamen ſollicitudinis memoria reficit, & confirmat. Non enim ſine ſenſu laetitiae recolere poſſumus, quam vehementer flamma tuae caritatis exarſerit in ingenti illa Civitatis trepidatione, cum horribili terrae motu urbs tota contremuiſſet, labarent aedes, templa corruerent; cum aliis ruina oppreſſi, aliis praecipitio illiſis, aliis metu exanimatis, fuga, gemitu, pavore omnia complerentur; atque ad Epiſcopales aedes, tuam, divinamque opem imploratura conſertiſſimi populi turba conflueret. Quam ingens illud ſpectaculum fuit! Quam totius mundi admiratione digniſſimum! Cum Ipſe incredibili animi magnitudine, nec curis, nec ſumtibus parcens, partim verbis metum abigeres, partim omnibus calamitatem levares, partim indictis precibus, ſaluberrimiſque ſubſidiis ovium tuarum pericula ſubmoveres. Ut Sanctimonialium conſternationem adimeres, earum crates pedibus circuiſti. Mulierculis ſuſtentandis, honeſteque locandis, quarum ingens numerus ex meretricio quaeſtu ad bonam frugem ſalutari metu ſe ſe receperat, victum, dotemque praebuiſti; atque Archiepiſcopalis Templi parietes, cum ex vehementi concuſſione partim vitium feciſſent, partim

tim etiam concidiſſent, ſumtuoſiſſimo opere fultos, inſtructoſque a ſuprema labe reparaſti. Illud certe fuit ſingularis in nos divinae benevolentiae argumentum, quod in praeſulatum tuum tanti diſcriminis calamitas inciderit. Nam cujus par ingenium tantis curis fuiſſet? cum hinc exterritae multitudinis lacrimae urgerent; hinc animarum pericula angerent; hinc divina omnia, & humana turbante tumultu paſtoralem animum ſollicitarent. Cum autem ſalutis ſtudium, pleroſque ex urbe in apertam camporum planitiem, ac lignea tecta extruſiſſet; multique, ut Te periculo proriperes, auctores eſſent, animarum ſalutem vita ipſa Tibi antiquiorem eſſe, atque una cum grege tuo vivere, unaque occumbere velle profitebaris. O voces Apoſtolico pectore dignas! O beatam tam vigili, amantique Paſtore Neapolim! Cujus vigilantiam, non minori ſibi praeſidio fuiſſe ſenſit, cum Apuliam inſignem Regni noſtri Provinciam peſtifera contagio corripuiſſet, atque inde ſenſim in finitimas regiones irreperet. Ipſe enim, Beatiſſime Pater, ne periculi magnitudo neglecta in certam perniciem caderet, apud magiſtratus auctoritate perfeciſti, ut intercluſo urbis aditu vigiliis, excubiiſque incolumitati publicae conſuleretur. Ut Tibi propterea dandum videatur, quod ſpiritum ducamus, tuaque Neapolis vaſtitatem, & ſolitudinem propulſarit. Is tunc metus nos infeſtos habebat, cum Alexandro VIII. magno cum Eccleſiae luctu è vivis ſublato, Pontificia comitia Te Romam evocarunt. Quae autem Tibi in tanta rerum feſtinatione potiſſima cura fuit, Beatiſſime Pater! prius certe de pauperum ſubſidio, quam de tuo commeatu cogitaſti; neque ante diſcedere animum induxiſti, quam menſtruam ſtipem ad longum tempus, prout comitia diſtrahi contigiſſet, illis diſtribuendam reliquiſſes.

Magnis interea periculorum procellis jactabatur Eccleſia; bello atrociſſimo conflagrabat Italia; verſis in mutuas clades armis, Hiſpania, Germania, Gallia, ſanguine redundabant; hinc Turcarum terror urgebat, hinc praeteritorum memoria, hinc futurorum metus, totaque Chriſtiana reſpublica luctu, & lacrimis perdita tabeſcebat. Aſſidua ad Deum O. M. vota concipiebantur; ſed cum parem aſperrimis temporibus Pontificem poſtularent, Te unum profecto deſignabant, praeterea neminem. Nec poterat certe luculentius praenunciari quantus futurus eſſes, niſi quod tamdiu expectareris; neque quod ſatis omnium votis facturus eſſes, niſi cum omnium votis expetebaris. Pendebat enim communis expectatio populorum, malorumque omnium diſcrimina intendebantur, ut in tua electione, Beatiſſime Pater, divinam opem ardentius ſuſciperemus,

mus, tuaeque fortitudini, ut olim Petro in myſtico linteo, tantarum calamitatum devoranda aſperitas offerretur. Quantam igitur laetitiam terrarum Orbem inceſſiſſe dicamus, cum iv. Idus Julii Pontifex Maximus renunciatus es; atque ab Sanctitate Tua inter ſaeviſſimos turbines, veluti ſignum quoddam tranquillitatis affulſit? Chriſtianorum urbes, regna, populique omnes, maria, terraeque, feliciſſimo die, expectatiſſimo nuncio triumpharunt. Inſremuerunt hoſtes, exultavit Eccleſia, ac pacandae reipublicae ſtudia jam pene conclamata ſe ſe erexerunt. Iuſtitiae columen, miſerorum praeſidium, bonorum ducem, mox futurum publicae tranquillitatis vindicem ſacroſancta Religio conſalutavit, & quae nihil fere quicquam ſperare audebat, tum vix fere habuit, quod ultra optaret. Fortunatam tanto Cive Neapolim, & glorioſiſſimam tanto Praeſule noſtram Eccleſiam univerſus terrarum Orbis praedicabat. Ex quo profecto intelligis, Beatiſſime Pater, quanta patriae tuae fuerit laetitia, ex cujus gloria tanta ad univerſos gaudia dimanarint. Certe omnium in oculis, omnium in ore laetitiae ſenſus eminebat, ac dum aera perſonarent, dum populi voces, acclamationeſque Caelum complerent, ipſae urbis aedes, ac templa quadam voluptatis ſignificatione geſtiebant, ac Sanctiſſimo Innocentii xii. nomine patria, litora, colleſque reſultabant.

Nec quemquam falſum habuit expectatio, quam Pontificatu inito commoviſti; ut primum enim in omnes mundi partes concuſſas, labanteſque animum intendiſti, repente ex teterrima periculorum conflictione nova rerum facies emerſit. Ceterum nihil in Chriſtiana re capeſſendum ratus, niſi prius adverſariis impudentiſſimis ora obſtruxiſſes, tuaeque Sedis ſanctitatem ab iniquis oblatrantium calumniis vindicaſſes; diſtributiones Eccleſiaſticorum redituum in conſanguineos, vel affines Romani Pontificis lege ſanctiſſima moderatus es, aliaque ad abolendum Nepotiſmum ſtatuiſti, cui heterodoxi amaro animo ſuccenſere certabant. Neque profecto tam inveterata ſuſpicio elui potuiſſet, niſi tantam ad Eccleſiae regimen modeſtiam attuliſſes, ut non ſolum famam popularem, ſed & jura ſanguinis, quae ſummos ſaepe viros tranſverſos egerunt, parvi ducens, illam ipſam humanae gloriae cupiditatem viceris, qua ſapientiſſimus quiſque maxime ducitur, quae fortiſſimos duces, opulentiſſimas gentes inter pericula conjecit, exitio devovit, quae victos, victoreſque ſuperavit. Eam quidem modeſtiae magnitudinem, cum invidentem obſiſtentemque tuis honoribus fortunam exciperes, atque ab iiſdem petendis abhorreres, mirifice preſtiteras; ſed in obtinen
ad

da rerum omnium poteſtate ſupra omnem memoriam retinuiſti. De qua primo loco pauca dicenda ſunt, ut quibus radicibus Pontificatus tui gloria nitatur, appareat.

Et ſane nihil ad modeſtiae commendationem cumulatius, nihil ad laudem illuſtrius excogitari poteſt, quam quod iis in operibus, quibus omnium judicio parta Tibi immortalitas eſt, quominus tuum nomen, aut gentilitium ſtemma commendaretur, cum acriter obſtitiſſes, eviceris. Quod cum omnes ad propagandam rerum ſuarum memoriam, famaeque immortalitatem, ingenita quadam cupiditate incendantur, Ipſe nihil libentius, quam mortalitatem, & aſſidue cogites, & ſermonibus, factiſque uſurpes: illius enim memor tumulum Tibi, nec nomini, nec magnificentiae tuae, imo vix privatae conditioni parem, nullis titulis, aut imaginibus, nullo ſumtu, apparatuque extruxiſti; ita ut qui veterum Romanorum gloriam magnificentiſſimis operibus provocaveras, in rerum tuarum ornamentis omnem cultum exuiſſe videaris. Tantum igitur modeſtiae ſtudium prohibuit, quo minus ad gentis tuae promerita animum intenderes: ejuſque praeclaram, vetuſtiſſimamque nobilitatem tanta virtute infra Te ducere docuit, quanta ſtudiorum contentione ſuam plerique ad Caelum ferre nituntur. Nec quidquam apud Te valuit, quod ſummis honoribus, & conſulatu jam inde a Neapolitanae Reipublicae temporibus floruerit; quod nobiliſſimas hujus Regni familias ſibi affinitate adjunxerit; quod opibus, titulis, ditionibus, & legationibus maximis afflueret. Nam quod lege caveras, admirabili exemplo præcipiens gentilium tuorum virtutem ſe ipſa eſſe contentam maluiſti; quam ne Pontificiae partes generi addictae, aut jura ſanguinis ad uſque ſummi Sarcerdotii ſanctitatem attingere viderentur. Quanta autem Te, Beatiſſime Pater, naturae, gloriaeque illecebrae revocabant? Nimirum invidioſum non fuiſſet, ſi eam gentem Eccleſiae gubernaculis admoviſſes, cui tot Reges ſummam rerum permiſerunt. Nec profecto vereri poteras, ut hi majorum veſtigiis inſiſterent, eorumque illuſtria facta aemularentur. Quid enim pro Chriſtiana Republica non ſubeundum, praeſtandumque ſtatuiſſent, quibus tanta Patrum incitamenta animis obverſarentur? qui tot duces, tot ſummos viros, domi, militiaeque ſe ſe, & rempublicam celebrantes tota mente luſtrarent? qui Bartholomaeum Pignatellum Archiepiſcopum Meſſanenſem ſub Urbano IV. impigre pro ſe agentem, atque ad tegendam Eccleſiam externos Principes excientem: qui Hectorem regias in Sicilia vices tam ſtrenue obeuntem, ut Carolus V., quem ſibi maxime obſtrinxerat, regnum illud ſuo imperio

ſer-

ſervatum, illius virtuti tribueret: qui Hectorem alterum pro Rege Tarraconenſem Hiſpaniam adminiſtrantem, quem apud ſe Oratorem Rex Chriſtianiſſimus ſummis honoribus proſecutus eſt; Catholica vero Aula ſupremis conſiliis adhibitum, & procurationibus graviſſimis exercitum, inter Magnates conſcripſit: qui Landulphos, Octavianos, atque alios denique ſempiterna memoria dignos, quorum ſplendorem inaudita tua moderatione cumulaſti. Materno autem e ſanguine quanta Te quoque gloriae decora prolectabant! Quanta bellicae laudis inſignia! Quanta Eccleſiaſticae dignitatis ornamenta! Undique enim duces, viroſque pacis, bellique ſtudiis florentiſſimos intuebaris. Hinc lectiſſimum duodecim Cardinalium, atque innumerabilium Antiſtitum agmen, ex quibus hanc Metropolitanam Eccleſiam novem tam ſapienter adminiſtrarunt, ut nunquam ex civium animis eorum memoria delenda videatur. Quid enim Alexandro non debeat Neapolis, cujus opera pretioſiſſimo B. Januarii Corpore locupletata eſt? Quid Cardinali Oliverio, cujus magnificentiam, rerumque geſtarum gloriam omnium litterarum monumenta praedicabunt, cujus fortitudindm, ſolertiamque ſacro foedere contra Turcas feliciter adminiſtrato, temporumque turbulentiſſimorum fortuna exercitam, Julius II. Pontifex Maximus teſtatus eſt, cum illum firmiſſimam Apoſtolicae Sedis columnam nuncupavit? Hinc Gregorium Hieroſolymitani ordinis Magnum Magiſtrum. Hinc Paulum IV. Pontificem Maximum, qui poſt Neapolitanum Archiepiſcopatum ad Apoſtolicam Sedem aſſumtus tuorum laborum ſemitam ſuis honoribus praeſignaverat. At cum tantam Tibi nobilitatis ſpeciem utriuſque gentis ſplendor objiceret, non modeſtia minus, quam genere neceſſarios tuos Tibi conjunctos optaſti; imo in unius ejus virtutis cultu eorum neceſſitudinem agnoviſſe videris. Nam cum Paulam ſororem tuam, quae in religioſiſſimo Sapientiae Coenobio aetatem omnem ſanctiſſime traduxerat, ſupremo morbo conflictatam inaudiſſes, quamvis probatiſſima illius vitae exempla, & germanae ſororis memoria animum tangerent; nihil tamen Te vehementius excivit, quam ne quid contra modeſtiſſimum animi tui propoſitum, in pompa funeris inſtructius admitteretur. Quare datis confeſtim litteris, ejus funeris non celebritatem, tuae quidem dignitati, & illius virtuti non indebitam, ſed religioſam ſimplicitatem graviſſime commendaſti; ut quemadmodum vitae cultu, ſic funeris honore aequo jure ceteris cenſeretur. Itaque religioſae pietati, religioſa quoque modeſtia parentaſti. O moderationem oppido admirabilem, qua & neceſſariorum caritatem, & humanam ipſam

 con-

conditionem ſuperaſti; ut ipſe praeclarius, quam olim de Bruto Roma praedicabat, in locum conjunctorum Chriſtianam rempublicam adſciviſſe videaris. Hinc igitur ſumma illa facilitas exiſtit, qua omnium preces, & cauſas excipere, nullius conditionem reſpuere, univerſis conveniendi Tui poteſtatem facere non dedignaris. Hinc verborum humanitas ſingularis, hinc frontis ſerenitas, hinc vultus hilaritas; ut in Te miſeriarum perfugium, atque egenorum praeſidium poſitum eſſe intelligamus.

Crevit enimvero, BEATISSIME PATER, velut nova igni materia ſubjecta, cum ſacrae poteſtatis augmento, flamma charitatis; quae extemplo erga Neapolitanam, Romanam, atque univerſam Eccleſiam mirum in modum exarſit. Nam cum damaſcena aedium tuarum ornamenta Cathedrali Eccleſiae Neapolitanae addixiſſes; ibidem pauperibus, quos Tibi jam haeredes ſcripſeras, redactam ex reliqua ſuppellectili divendita aureorum viginti millium ſummam largitus es. Mox de ejuſdem patriae incolumitate ſollicitus, ut quae oppida contagione laborabant, perpetuo aggere concluderentur, ſex aureorum millia contuliſti. Cumque obnoxia Romano aerario, ex veteri aere alieno noſtra vectigalia vacillarent; remiſſa pecunia debita, annuoque cenſu imminuto, levaſti. Ad civium autem tuorum honores, ac beneficia, quam effuſe incubueris, quis ignorat? Quid enim memoremus Patricios honorificentiſſime acceptos? Perpetuum per manus Advocati Conſiſtorialis honorem uni ex civibus delatum? Eos ad Praeſulatus, ad dignitates, ad munera maxima gerenda delectos? Collegialem Sancti Joannis Eccleſiam canonicali titulo, & inſignibus ornatam? Neapolitanorum Romae Eccleſiam nova aedificii mole, magniſque reditibus auctam? Haereditarios patrimonii tui proventus, redimendis a barbarorum captivitate Lupienſibus, ac Neapolitanis civibus addictos? Quae quidem omnia viciſti, BEATISSIME PATER, cum Epiſcoporum ſpolia totius Regni Eccleſiis, magno cum earum, pauperumque emolumento, & Epiſcopalis muneris dignitate remiſiſti. Eximia tunc certe liberalitatis tuae documenta ſuſpeximus, cum Epiſcoporum conditionibus magnifice rejectis, quibus annuo cenſu ſibi ultro impoſito tranquillitatem ſuam redimere ſtudebant; eo remiſſo, ut dignum tua magnitudine beneficium videretur, plus illis conceſſiſti, quam, aut petere ipſi, aut ſperare potuiſſent. Id quod grata Neapolis publicis monumentis, & ſempiterno praeconio praedicabit.

In Romana vero Eccleſia, quas non expertus Apoſtolicae charitatis vires, miſeris ſolatia praebuiſti! aedes ampliſſimas

mas, opulentiſſimos reditus, rerum omnium copiam, pueris orphanis, pauperibuſque invalidis inſtructiſſima hoſpitia. Quae tanta animi tui, Beatissime Pater, miſericordia fuit, ut egentibus ultro occurreres, nec ſolum occurreres, ſed invitares, nec invitares modo, ſed benigniſſima ſeveritate cogeres, ut adjuvares? Quae providentia, ut miſeriae, inertiaeque ereptos, artibus coleres, quibus Civitati utiles, & publicae quieti innocentes efficeres? Quantus amor, ut magis, quam quiſquam conjunctos, ipſe pauperes complectereris? Magnificentiſſimum in Laterano hoſpitium, tanto ſumtu, tantaque celeritate, tua ipſius aſſiduitate urgente perfectum; atque alterum ad ripam Tiberis, Sancti Michaelis nomine, pueris egenis inſtructum, omnis poſteritas, omnis memoria intuebitur; neque ullum inveniet, qui aut ſtudio populari liberalius, aut immortalitatis deſiderio magnificentius opus unquam molitus ſit, quam Tu, Beatissime Pater, publicae egeſtati, ac divinae, ſanctaeque Sedis gloriae poſuiſti; ut nulla eſſet calamitas, cui non occurreres; nec major videretur fortunae iniquitas ad perniciem, quam tua liberalitas ad ſalutem.

Dignus igitur Pontifex, quem Tu Roma publicis acclamationibus, monumentiſque miſerorum ſolatium appelles. Dignus certe, quem Magno Gregorio conferas; cujus charitatem eximiam feliciter aemulatus, illud etiam beneficentiae ſuae ope aſſecutus eſt, quod illius nomen ſummopere illuſtravit. Quam enim fidem ille in Britanniam per Apoſtolicos viros invexit, is ne in proxima Hibernia haereticorum furore ſaeviente extingueretur, effecit. Illius quidem auſpiciis fines religio protulit, novamque gentem ſuo imperio adjunxit; ſed hujus ductu, nec loco mota deceſſit, nec immanitati victa ſuccubuit. At tum res cum rudi hoſte fuit, quem Idolorum cultus infecerat, non odium veritatis armaverat; Ignorantia Chriſtianae Profeſſionis induxerat, non pugnacitas haereticalis excaecaverat: nunc vero cum infenſis fidei adverſariis conflixit, irruentes ſuſtinuit, proſcriptiones, exilia, & graviſſimas inauditae feritatis procellas ſuperavit. Illa in expeditione Gregorii felicitatem, in hac victoria Innocentii charitatem ſuſpexit Eccleſia. Quantum enim ſollicitudinis, auxiliique praeſtiterit, non Tu modo Roma, ſed omnia Chriſtianorum regna teſtantur. Nam ad divinum praeſidium implorandum publicas ad Deum preces indixit, Chriſtianos Principes, Eccleſiae Paſtores, populumque omnem ad conferendam opem verbis, & exemplis excivit, datiſque litteris amantiſſimis, & maximis ſubſidiis, nutantes confirmavit, jacentes erexit, atque ad victoriam, quae vincit mundum, impu-

pulit, & inflammavit. Nec minus Catholicis Angliae avitae religionis propugnatoribus ſubſidiorum largitate, paternaque ſollicitudine adeſſe ſtuduit, ut eos ad heroica Jacobi Regis exempla ſuccenderet; in cujus aſperitate rerum, animique magnitudine, Catholica fides ſummum inauditae fortitudinis praebuit experimentum; adeo ut non minus certe in hujus adverſitate, ac aliorum Principum felicitate triumpharit.

Reliquas autem Catholicae fidei victorias, Te, Te, BEATISSIME PATER, rem Chriſtianam gerente reportatas, quiſquis volet aeſtimare, is temporum primum oportet conditionem reſpiciat. Nam Turcarum vires per occaſionem inteſtini Chriſtianorum belli confirmatas formidabamus. Neque profecto hoſtem acerrimum, acceptis cladibus inſanientem, & recenti ſpe inflammatum, vel refutare bello, vel ſuſtinere poſſe videbamur; cum diſtractis armis, adverſiſque ſtudiis diffideremus; ille vero tota belli mole ad noſtrum excidium incumberet. Cum eo in extremo res Eccleſiae ſitae eſſent, collatis a Tua Sanctitate ſubſidiis inſtructi, ita illum excepimus, ut non modo a noſtris cervicibus repelleremus, verum etiam ſecundis praeliis terra, marique affligeremus. Itaque Tibi defert Chriſtiana religio, quod tuis legionibus, triremibuſque, nec non Venetorum, ac Melitenſium armis, Chium praeclariſſimam AEgaei maris inſulam occuparit, ac diripuerit; quod ceteris Othomanicae ditionis Inſulis maximam pecuniam imperarit; quod in Corinthiaco ſinu barbarorum quinque millia, cum in Peloponneſum egredi molirentur, ſignis, impedimentiſque captis ceciderit: quod Caeſareis copiis magnum Varadinum, Jenum, Julamque in poteſtatem acceperit; duoſque inſtructiſſimos Turcarum exercitus ingenti clade deleverit; alterum ad Danubium, hoſtibus ad decem millia interfectis, impedimentis, tormentiſque bellicis captis, atque ipſo duce in acie obtruncato; alterum ad Tibiſcum, ubi praeter duo, ac viginti millia hoſtium trucidata, cum duobus ſupra viginti legionum praefectis, dux ſummus occubuit; & caſtris, impedimentis, tormentiſque bellicis centum, ac decem potiti ſumus, ipſo Orientis Tyranno inſpectante, ac nequicquam regni ſui calamitatibus ingemiſcente. Haec omnia, BEATISSIME PATER, armorum ſuorum decora, tuis ab auſpiciis, liberalitate, ſolertiaque profecta, merito Dei Eccleſia concelebrat.

Verumtamen Eccleſiae finibus ſe ſe tenere charitatis tuae magnitudo non potuit, ſed incredibili quodam aeſtu in remotiſſimas etiam barbarorum regiones redundavit; ut quibus nondum Evangelica fides illuxerat, miſericordiae tuae munere obo-

oboriretur. Neque enim pietatis tuae deſiderium expleri poterat, niſi ab ultimis terris arceſſiſſet, quibus poſſet opitulari. Igitur, quos immenſus maris, terrarumque tractus ab orbe noſtro disjunxerat, Chriſti Imperio adjiciendos, miſſis ad fidem propagandam Apoſtolicis Viris; factoque in ſaluberrimum opus centum & quinquaginta millium ſumtu ſuſcepiſti. Cumque Darien Americae Inſulam a Scotis haereticis occupatam accepiſſes, ut ab Hiſpanis recuperata fidem integerrimam retineret, Regi Catholico liberaliter conceſſiſti, ut magnam ex Eccleſiaſticis reditibus in Hiſpania pecuniam ad tam pium bellum inſumeret. Compertum enim, BEATISSIME PATER, habueras, eorum Religioni ſatis eſſe conſultum, quos tanti Regis fidei commendaſſes. Tuae autem operae quam ſtudioſe Dei benignitas affuerit, nemo non vidit. Quis enim non eſt Tibi gratulatus, eam Inſulam, & tua ſollicitudine, & illius virtute Eccleſiae ſimul reſtitutam, & Hiſpano Imperio vindicatam: Deo non ſolum vigilantiae tuae, ſed CAROLI II. etiam armis, & pietati obſecundante, in cujus felicitate firmiſſimum Catholicae Religioni propugnaculum collocavit? Quis non eſt gratulatus, infandi ſchiſmatis anteſignanos Apoſtolicae poteſtati tuae cervices ſuppoſuiſſe? Maximis incrementis in Armenia, AEthiopia, Indiis, Siniſque rem Chriſtianam ccaluiſſe? novas nationes, efferatas gentes, inauditos populos, exuta morum feritate ad Chriſti cultum eſſe traductos? tuumque nomen barbariae ſinus, orientis receſſus, meridionales plagas, totumque terrarum orbem peragraſſe?

Haec autem licet magna eſſe, ac ſempiternis Eccleſiae faſtis commendanda fateamur; longe tamen ea felicitate minora ſunt, qua Pontificatum tuum ſupra omnem memoriam illuſtrare maxime, atque inſignire Dei providentia dignata eſt, quam non dicam ſperare, ſed vel cogitare nemo potuiſſet. Quod ſcilicet Auguſtum Saxoniae Ducem, & Electorem ab exitioſa haereſi emergentem, abjuratis erroribus, in quos Saxonia omnium prima conjuraverat, Poloniae Regem praefecerit. Vidimus alias, BEATISSIME PATER, ob Catholicae fidei ſtudium Reges regnis exactos, & quod Romanam Sedem colerent, ab imperii faſtigio deturbatos. Te autem Pontificatum maximum gerente, tanta facta eſt Catholicae rei ad felicitatem converſio, ut ipſa erga Sedem tuam fides regna florentiſſima largiatur. Illorum annales temporum, qui Saxoniae defectionem, quam totius Septemtrionis calamitas conſecuta eſt, hactenus deplorarunt, monumentis rerum tuarum luctum cum laetitia commutabunt; quibus leget gratulabunda poſteritas, eam domum ſe Tibi ſupplicem abjeciſſe, quae

prima excuſſo Apoſtolicae poteſtatis jugo ſigna immaniſſimae conjurationis ſuſtuliſſet; ac ſanata demum vulnera, quae jamdudum ſibi dolebat inuſta. Cum igitur eam unam labem ad ſuperiorum temporum luctum ſatis fuiſſe dicamus, quis hanc tantam felicitatem ad temporum noſtrorum laetitiam, rerumque tuarum gloriam ſatis eſſe inficietur? Quae enim eſſe poteſt, aut Pontifici Maximo, aut Chriſtianorum animis uberior materia laetitiae, quam quod inde poenitentia ſalutaris incipiat, unde impudentia lethalis eruperat? In ſpem enim maximam ingreſſi ſumus, fore, ut univerſae regiones, quas haeretica lues afflavit, Saxoniae Ducem, ut olim ſecutae ſunt rebellantem, ita nunc demum imitentur reſipiſcentem; eamque nuperrime vehementius erexiſti, Apoſtolico Nuncio in Saxoniam miſſo, ut Saxoniae Electricem Poloniae Reginam inſigni victoria Catholicae Eccleſiae reſtituas, ibique Romanae Sedis inſignia triumphare videamus, ubi haereſis imperii ſui jecerat fundamenta. Nam quid eſt, BEATISSIME PATER, quod virtuti, ac felicitati tuae arduum, aut difficile videatur? aut quid non ab illa mundus expectet, cujus potiſſimum opera, ea ſibi ceſſiſſe vidit, quae profligatis rebus numquam auſus fuiſſet optare? Extincta nimirum bellorum atrociſſimorum incendia, pacemque terra, marique partam, cum maxime ardere omnia odiis, armiſque viderentur. Tua enim ſolertia, BEATISSIME PATER, cum omni ope, primum Italiae, ſuis, externiſque armis infeſtae pacem reddidiſſet, mox indictis precibus, collatiſque conſiliis inſtitit, impulit, ſummaque aſſiduitate perfecit, ut ab interitu ſervatae tot urbes incolumes ſtarent, nec amplius armorum licentia jus faſque perrumperet; ſed Europa, atque adeo univerſus terrarum Orbis, quod multis ab hinc ſeculis expetebat, diuturno, cruentiſſimoque bello perſunctus videretur.

Sed jam quanta vigilantia diſciplinam, ſacrarumque legum cultum tuearis, conſideremus; quam certe nunquam rei magnitudo, aut difficultas abſterruit; nunquam valetudo, vel aetas continuit, aut retardavit. Quando autem, aut gratia hominis, aut ſplendor ſanguinis, aut amplitudo dignitatis extorquere potuerunt, ut vel flagitiorum animadverſionem negligeres, vel ad impunitatem licentiae conniveres? Quae fuit in componendis moribus ſeveritas? Quae in propulſandis vitiis aſſiduitas? Quae in pietate excitanda charitas, quam non acriter adhibueris? Ut Regularem diſciplinam reſtitueres, atque ad primaevum ſplendorem revocares, conditio temporum, & remiſſio animorum interpellabant, occurſabantque; at Tu, BEATISSIME PATER, arduum opus fortiter ſuſceptum,

ptum, feliciter confeciſti. Ut Clericalem honeſtatem adverſus exundantem corruptiſſimi ſeculi luxum retineres, ferendis legibus, poeniſque intentandis omnem ſollicitudinem excuſſiſti. Ut Apoſtolicam animi tui liberalitatem in minores etiam Eccleſiae Paſtores effunderes, quam nulla prorſus onera retardarent, quominus Paroeciae in poſterum penſionibus gravarentur, cavendum ſanctiſſime reputaſti. Ne pauperibus rei familiaris egeſtas vel audaciam objiceret, vel turpitudinem, miſeriae fluctibus ereptos in ſalutis, ac pietatis portum tranſtuliſti. Ne in domicilio, & arce Eccleſiaſtici imperii ullum pateret licentiae perfugium, ibique viriorum corruptelae impune graſſarentur, ubi pro Chriſtiana diſciplina ſummus Paſtor excubaret, publicum Romae theatrum ſolo exaequaſti; ut vel ipſe Hieronymus e ſpecu Bethlehemitico nihil Romae profani deprehenderet, a quo mentem averteret. Suboleſcentes in agro Domini ad animarum perniciem, germanaeque virtutis detrimentum errorum ſegetes ſuccidiſti; & rem Eccleſiaſticam multis in partibus laborantem, legibus, & inſtitutis ſanctiſſimis informaſti. Eaque ut probatiſſimorum virorum opera, & miniſterio promoveres, Patribus Miſſionis duas in Urbe domos, alteram quidem reditibus locupletaſti, alteram vero ampliſſimam SS. Joannis, & Pauli nomine dictam, cum uberrimo cenſu conceſſiſti. In magiſtratibus autem tuis, in quorum fide, & ſapientia poſita eſt ſumma reipublicae, tantam integritatis laudem fovere ſatagis, ut priſcam fori, curiaeque Romanae majeſtatem reſtitutam videamus. Nunc enim plane cognoſcimus, quanti rempublicam interſit, ut ſe ipſum contineat, qui alios ſtudet in officio continere. Nam quis adeo vecors, & impudens ſit, ut largitionibus, divitiiſque corrumpatur? cum Te tanta continentia viderit, ut ex patrimonii tui reditibus tenuiſſimos etiam victus tui ſumtus fieri mandaveris. Miramur hic tantam Te integritatis, ac innocentiae famam, opinionemque, etiam apud infenſiſſimos haereticorum comparaſſe; ut nomen tuum ſummis ubique laudibus ferant, tuamque imaginem honorificentiſſime collocatam maximo honore proſequantur?

Ceterum, qui Sanctitatis Tuae conſilium in mandandis honoribus, & legendis magiſtratibus inſpexerit, is profecto intelliget, undenam tantus judiciorum, officiorum, rerumque omnium cultus manaverit. Cum enim ſollemne Tibi ſit ſapientiſſimos viros, atque una ſapientiae commendatione Tibi probatiſſimos undique arceſſere, eoſque ſummis beneficiis afficere, & cumulare; factum eſt, ut nunquam Romam, atque ad Pontificiam Aulam vis admirabilior ſapientiſſimorum

hominum confluxerit; nunquam vehementius Chriſtianae antiquitatis ſtudia exculta ſint; nunquam felicius ſalutaribus literis Catholicorum Academiae floruerint; quarum cultores ad omnes honorum gradus Sanctitas Tua ſemper evexit. Id quod in Cardinalibus creandis maxime docuiſti. Quae enim delecta tunc toto orbe vidimus ſapientiae lumina? Quanta in illis exercitatio diſciplinarum, commendatio laborum, omnium denique teſtimonia literarum? Certe non eſt verendum, nequis virtutis expers, Te Pontifice Maximo, ad Eccleſiaſticos honores nitatur, aut malis artibus ad rem gerendam obrepat; cum praeſertim aerarium prope exhauriendum reputaris, ne ulla hujuſce rei ſuſpicio ſupereſſet. Nam, ut obſtructo divitiis aditu, ſubactae tantum exploratae que ſapientiae ad ſacras dignitates pateret acceſſus, Cameralis Quaeſturae venalitatem, quam invidebant boni, inceſſebant adverſarii, quam INNOCENTIUS XI. ut tantum gloriae cumulum ſuis rebus adjiceret, abolendam deſignaverat, Ipſe tandem ſuſtuliſti. Nimirum quicquid incoeptu arduum, exitu aſperum videbatur; quicquid ſummo conſilio capeſſendum, magnaque fortitudine conficiendum erat; quicquid ſuperiorum Pontificum curas, vel exercuerat, vel excluſerat, Tibi uni expediendum Divina Providentia reſervavit.

Quod quidem ſenſerunt univerſi, cum Baſilicam ingentem, quae ſub INNOCENTIO X. perfici non potuit, juris dicendi opportunitati in monte Citatorio exſtruxiſti. Vos hic Urbis moenia, colleſque, vos teſtes appellamus; vos, quae admirari veterum Imperatorum aedificia celeberrima conſueviſtis, quid in illis potiſſimum operibus ſuſpexiſtis, quod tanti Pontificis magnificentiae non concedat? Operae difficultatem? At hic egeſtos aggeres, ſummotos colles, dejectas aedes, complanatas areas, derivatos fontes, invitumque loci ingenium parere coactum vidiſtis. Conficiendi celeritatem? At certe tantum temporis ſatis pleriſque non fuiſſet ad deliberandum, quantum Ipſi ſatis fuit ad perficiendum; nam idem annus coeptum opus, abſolutumque vidit, quod omnis poſteritas admirabitur. Publicam utilitatem? At judices adeundi, magiſtratus conveniendi, tabulas aſſervandi, implorandi, experiundi, agendi, quantus antea labor, tanta nunc facilitas oborta eſt. Non concurſandae viae, non obeundae domus, non taedia, non morae, non dilationes ſuſtinendae; ubi unus INNOCENTIUS omnium petitionibus, omnium votis praeſto eſſe, & inde etiam egenorum ſubſidia elicere novit, quibus locationum addicto pretio, pauperum invalidorum titulo, ad ſuae charitatis argumentum maximo, molem illam deco-

ran-

randam eſſe mandavit. Quo vero, Beatissime Pater, duo illa telonia mittimus, apparatu maximo condita excipiendis, ſervandiſque mercibus; illud quidem mari, hoc vero terra convectis? quod cum Curia tuo nomine nuncupata, lata via, publiciſque uſibus peropportuna conjunxiſti: ex quibus magno proventu pauperum hoſpitium, ingenti quaeſtu aerarium, emolumento maximo reſpublica locupletata eſt. Quo baptiſterium in Sancti Petri, praeclariſſimo opere ex porphyretica urna, in qua diu Othonis Imperatoris oſſa jacuerant, elaboratum? ut cuncta inanis gloriae monumenta in Eccleſiae ornamenta conflares; & quae diu cineres exanimes aſſervarat, melius regenerandos, & conſepeliendos cum Chriſto homines urna ſuſciperet. Quo memoriam Chriſtinae Svecorum Reginae inſigni opere conſecratam apud Matildae monumentum ab Alexandro III. poſitum in S. Petri aede maxima? ut quae Catholicae fidei ſtudio patrio regno exceſſerat, & Matildae in Romanam Sedem ſtudium fuerat aſſecuta, non imparem Pontificiam humanitatem nanciſceretur.

Illae nunc vocant nos operum extructiones, quas ad rem maritimam levandam, tum in Antiati litore, tum ad centum Cellas ingenti opera, ſumtuque ductas, commendavit Italia. Hic enim, Beatissime Pater, Trajani aquaeductum vetuſtate exciſum magnificentius reſtituiſti; portumque tutiſſimum priſtinae opportunitati reddidiſti; illic vero jactis in altum molibus, & aperto mari objectis, novoque ductu aqua longe derivata, maris, terraeque aſperitatem publicis commodis obnitentem feliciter emendaſti. Illuc autem portorio remiſſo, quanta externarum mercium vis commeavit? Quanta annonae vilitas extitit? Quod, Beatissime Pater, cum providiſſes, longum iter inſtituere, viaeque incommoda ſubire non dubitaſti, ut publicam utilitatem tua ſollicitudine urgeres, ad quam operum tuorum magnificentiam ſapientiſſime contuliſti. Non enim Ipſe, quod Romanis Imperatoribus laudi datur, aut Circum contentioni, aut Theatrum laſciviae, aut Amphitheatrum crudelitati, aut Thermas licentiae poſuiſti; ſed paupertati perfugium, orbitati ſolatium, judiciis domicilium, ubertati ſedem inſtruxiſti. O Te igitur inter Principes Optimum, inter Pontifices Maximum, qui ut Romanae antiquitatis luminibus obſtrueres, Caeſaris magnificentiam, Auguſti felicitatem, Titi clementiam, Antonini liberalitatem, ſimulque Leonis fortitudinem, Gregorii charitatem, Coeleſtini modeſtiam complexus es. Quo te igitur appellemus nomine? Pauperum

Pa-

Parentem, an Juſtitiae Propugnatorem? Religionis Propagatorem, an diſciplinae Vindicem? Singula tuis in rempublicam meritis minora cenſentur; quorum omnium inſtar unum INNOCENTII nomen efferet vetuſtas. Quae certe tam divinam in uno homine fuiſſe virtutem obſtupeſcet, ut nihil tam periculoſum, tam difficile unquam fuerit, quod non explicaverit. Quid enim difficilius, quam graviſſimis temporibus, non modo ſartam, tectamque Eccleſiae dignitatem ſervare, verum etiam augere victoriis? Auxiſti. Receptis haereticorum, & ſchiſmaticorum ducibus, regniſque remotiſſimis adjunctis, religionem amplificare? Amplificaſti. Parta pace, legibuſque ſanctiſſimis temporum calamitatem maximam ſuperare? Superaſti.

Te igitur, BEATISSIME PATER, tuaque egregia facta gratulabitur nobis futura aetas; ſed multa ſunt, quae nos quoque illi non immerito gratulemur. Quidni enim illam beatiſſimam praedicemus, cui fauſtiſſima ſeculi primordia apertis divinae miſericordiae fontibus impertiris? Nam, ut huic ſeculo cladium, malorumque finem; ita futuro maximae felicitatis fundamenta, & initia poſuiſti. Cumque hoc feliciſſimum habeatur, quod tua virtute clauſeris; quid illud erit, quod Apoſtolica ſanctitate reſerabis? Qualem charitatem Jubilaei anno, imo qualem tantae charitati opportunitatem Deus deſignavit! Qualem hoſpitalitatis ardorem, quanta liberalitatis argumenta, & Pontificiae munificentiae largitatem viſura eſt omnis Eccleſia, quae ad Dei miſericordiam, & Apoſtolicas benedictiones implorandas Romam convolabit? Quam ne ulla bellorum diſſenſio revocaret, aut moraretur, divinitus Tibi datum eſt, ut non prius ſeculare Jubilaeum indiceres, quam tumultus armorum toto terrarum orbe componeres; exteraſque nationes ad limina Apoſtolorum ſtudioſius evocaret eximia Mariae Caſimirae Poloniae Reginae pietas; quae regias animi ſui virtutes tunc potiſſimum cumulavit, cum univerſis Chriſtifidelibus ad Apoſtolorum adeunda limina admirabili exemplo praelucens, tuo ſub imperio digniſſimum religioni ſuae domicilium, ac dignitati ſedem optavit. Reliquum eſt igitur, BEATISSIME PATER, ut quiſquis fidelem Eccleſiae operam navare, ſeque ad animarum ſalutem comparare ſtuduerit, in res tuas geſtas animum intendat; ut in tanto fluxarum rerum contemtu, in tanta erga omnes miſericordia, in tanto divini honoris ſtudio, qua quiſque ad Dei gloriam tendere, nitique debeat, intueatur. Ita enim perennis harum Synodalium Conſtitutionum fructus huic Provinciae conſtabit, quarum diſciplinam immortalia virtutum tuarum exempla tuebuntur.

ORA-

ORATIO
A CAROLO MAJELLO
HABITA IN ÆDIBUS SEMINARII NEAPOLITANI
IN ADVENTU
Eminentiſſimi, ac Reverendiſſimi Domini
S.R.E. CARDINALIS
FRANCISCI PIGNATELLI
ARCHIEPISCOPI NEAPOLITANI
Anno Domini MDCCVII.

NEmo eſt qui non intelligat, Eminentiſſime Princeps, Divino prorſus conſilio factum eſſe, ut laetitia adventus tui tamdiu nobis extraheretur, iiſque potiſſimum temporibus incideret, quibus maxime perſpicerent univerſi, quam incenſa in te omnium Ordinum ſtudia eſſent, quantoque viciſſim ſtudio ipſos commendatos Tibi populos amplectereris. Enimvero inter intenta undique pericula, quibus conflictabamur, cunctorum animis de publica privataque ſalute ſollicitis, cum tanta, in omnes redundavit voluptas, ut in illa incredibili ſalutantium frequentia vel periculorum obliti, vel de incolumitate ſecuri viderentur, nonne prae ſe aperte tulerunt, quam libenter agnoſcerent redditum ſibi divinitus felicitatis auſpicem, trepidis in rebus tutelarem, in adverſis perfugium, in quacumque demum fortuna Patronum, ac Parentem? Ipſe vero, P. E., quam luculenta eximiae benignitatis argumenta praebuiſti, cum in apetta calamitatum diſcrimina te conjiceres; nec rerum tuarum rationem, ſed ovium cuſtodiam, & ſalutem repŭtares; quamquam pleriqne ſuaderent, plurimi vero palam jactarent, nunquam futurum, ut tantis procellis urgentibus clavum arriperes? Quae enim aliorum ſtudia vel excludere, vel retardare potuiſſent, alacritatem tuam vehementius excitarunt. Nam intellexeras Tibi non ad quietem, ſed ad labores, & ſollicitudines evocato eam oblatam eſſe opportunitatem, quae eximiam animi tui fortitudinem, dexteritatem, & ſapientiam maxime exerceret, & com-

commendaret. Profecto tanti intereſt ex Aulae ne diſciplina, an ex Chriſti, Apoſtolorumque palaeſtra ad regendum Eccleſiae gregem Paſtor proceſſerit: hos enim divinos virtutis ſenſus non ex iis lacunis hauſiſti, quibus imbuti ſaepe homines ſuis dumtaxat commodis inhiantes ad animarum etiam curam evolare, & irrumpere non reformidant; ſed ex Apoſtolicis Theatini Ordinis ſontibus, quibus ad caeleſtem vivendi rationem eductus es. Huc ſpectabant divinorum conſiliorum tramites, cum Te domeſticis blanditiis abſtractum foro auſterioris vitae exercitationibus objecere; cum Te Domino vocanti ultro obſecutum, generis ſplendore & familiae amplitudine uſum non ad licentiae argumentum, ſed ad modeſtiae commendationem & gloriam, vix adoleſcentia ineunte, ne qua unquam contagio pravitatis adflaret, e medio deliciarum ſinu proripuit, docuitque opes cum paupertate, cum ſervitute dominatum, vitae ſuavitatem cum auſteritate Evangelica commutare.

Neque enim ex alio vitae genere ad tantum propriae ſalutis contemtum profeciſſes, animamque pro ovibus dare paratus, ad exantlandos labores, ad diſſitas regiones peragrandas, ad adeunda vitae pericula pro Sancta Dei Eccleſia proſiluiſſes. Illa Te in palaeſtra exercitum ſubactumque inauditis ſollicitudinum contentionibus Chriſtiana charitas comparavit. Inde morum ſuavitatem eximiam, candoremque admirabilem expreſſiſti, quo Te cunctis impertiri, omnes benigne adfari, univerſos ſeu votorum compotes, ſeu humanitate obſtrictos dimittere conſuevisti. Quis Te unquam aut negotiorum turba faſtidientem, aut adpellantium moleſtia fatigatum, aut ulla rogandi importunitate commotiorem ſenſit? Quando unquam aut eventuum calamitas, aut ipſa judiciorum atrocitas oris tui ſerenitatem excuſſit? Tantum igitur fuit, quod Theatina Te familia ad legationes ampliſſimas, & ſummas dignitates emiſerit, Tibi vero illud longe glorioſiſſimum, P. E., quod inter operoſiſſima legationum negotia, atque in tanta dignitatis amplitudine, nec ſacrae Religionis otia, nec ſeceſſum pietatis dimiſeris, nec ſimplicitatem, modeſtiam, manſuetudinem dediſcere potueris. Ita autem nobiſcum reputamus, cum per ſe magnum ſit Theatina inſtituta virtuteſque tenere, nihil majus eſſe, aut difficilius, quam Theatinum hominem inter opes, & dignitates agere; nec quidquam admirabilius, quam ſine clauſtris arcere frequentiam, & in ipſa interpellantium frequentia ſecum agere, & cum Deo de negotiis cogitare. Nec ignoramus pleroſque probata virtute viros intra Coenobiorum ſepta vitae exem-

exemplis commendatiſſimos, honoribus perſtrictos, & vitae interdum ſplendore peſſumdatos, quos non fregit auſteritas. Te modo, P. E., quibus praeconiis celebremus, qui tecum ; ex aſcetica clauſtrorum umbra in lucem aulae, abditae vitae ſenſus tranſtuliſti, eamque novis inſtitutis, noviſque inſignibus conſueſcere docuiſti? Qui res duas gerendae rei Chriſtianae apprime neceſſarias, ſed uſu conſortioque difficillimas ac veluti compugnantes tam feliciter temperaſti, ut qui mores tuos ac pietatem aeſtimant, nunquam a ſolitudine receſſiſſe; qui vero res tuas geſtas multitudine innumerabiles, periculis diſtrictas, incoeptu aſperas, exituque feliciſſimas reputant, nunquam Te procul negotiis verſatum arbitrentur, imo vero non unius ſed multorum ſollertiſſimorum hominum facta intueri animo, ac recenſere videantur. Emenſos terrarum tractus, mariſque ſinus, Hiſpaniam, Italiam, Germaniam, Poloniam peragratam, nec peragratam modo, ſed negotiis muneribuſque graviſſimis & ampliſſimis illuſtratam laudare ſolent homines velut incunabula gloriae tuae; ut in quibus ſummi viri laudum ſuarum metam, in iis Tu egregiorum facinorum tyrocinium poſueris. Nam in Tarentina Eccleſia adminiſtranda, quae prima ſunt Paſtoralis tuae ſollicitudinis lineamenta, quas partes Apoſtolici oneris non fortiter pertuliſti? Qua contentione ſacroſancta Eccleſiae jura vindicaſti? Quos ſumtus facere ſtatueras, ut Eccleſiae illius pacem, & tranquillitatem adſereres? Hoſpitalitatem vero quanto opere, & quanta cum impenſarum largitate coluiſti? Patebant cunctis aedes tuae inſtructiſſimae, & quamquam jugi comitatu confluerent hoſpites, nunquam tamen aut hoſpiti gratia, aut hoſpitio liberalitas defuit.

Quod ſi talem Te iis praebueras, quos plerumque non noveras, qualem Te iis fuiſſe dicamus, quos paſcendos, & fovendos Deo commendante ſuſceperas? Non tibi ſatis fuit, quod honeſtas familias inopia profligatas ſuſtentares, adflictis praeſidium, periclitantibus patrocinium, & opem adferres; ſed jactatos etiam invitabas ad portum, & quos verecundia ſubſiſtere, & latere ſenſiſſes, ultro beneficiis adibas. Neque tamen intra Eccleſiae ſuae fines immenſa beneficentiae ubertas ſe tenuit, ſed ultra Provinciae illius fines latiſſime redundavit. Mirum erat unde Tibi ad ſubſidia pauperum tanta copia ſufficeret, cum ipſe interea Eccleſiae ornamentis, & operibus magnificentiſſimis ita intenderes animum, veluti in eam rem unam omnem divitiarum vim corrogaſſes: nam praeter argenteam Eccleſiae ſuppellectilem tuis ſumtibus auctam, ſacras aedes aureato laqueari orna-

natas, Sacellum B. Virgini marmoreo opere ſumtuoſiſſime conſtruxiſti, Seminario aedes ampliſſimas addidiſti, atque Epiſcopalem domum novis aedificiis laxatam, & inſtructam amplificaſti.

Beatos autem tua virtute Tarentinos, ſi procul Chriſtianae Religionis detrimento diutius frui tua praeſentia potuiſſent! Sed jamdudum Te ardua rerum Eccleſiaſticarum molimina in aciem evocabant, bonis indignantibus jam ſatis diu tantum virum peſſimo publico prope delituiſſe, cum potiſſimum intelligerent, eo tibi obſtructam ad honores viam, quo ceteris maxime patuit aditus ad dignitates, nimirum quod SS. Pontifici Innocentio XII. ut virtutis, ita etiam ſanguinis cognatione proximus eſſes. Deus Immortalis! quis vicem tuam non indoluit, praeter Te unum? aut quis nam, praeter Te unum, non ſummis gaudiis inceſſit, cum decreta tibi Polonica legatione, parem, in qua ingenii tui vires expromeres, nactus es provinciam, negotiorum aſperitate, & temporum procella difficillimam? nihil invium dexteritati tuae, nihil abruptum ſagacitati, nihil arduum prudentiae fuit. Novimus Te obortis tempeſtatibus jactatum bellorum atrocitate, & cruentis Provinciarum factionibus; ſed qui fluctus periculorum, aut quinam timoris aeſtus excelſitate, animique magnitudine, rerumque gubernaculo excuſſit? Nos quidem tam procul poſitos, ſed de rebus tuis ſollicitos ingens metus inceſſit, cum clades, incendia, vaſtitatemque regionum exaudiremus. Tu vero inter ſaeviſſimos turbines portum concuſſae Religioni aperuiſti; cumque humana jura miſcerentur, bello turbante, ac Regni reique publicae facies foediſſime deformata eſſet, non modo nullum Eccleſiae, ſacriſque rebus vulnus inflictum eſt, ſed magnis auctibus res Catholica coaluit. Nam, Te auctore, Rutheni ab infando tandem ſchiſmate emerſerunt, & inveterata illa Poloniae labes, quae tamdiu regionis illius integritatem infecerat, per Te excuſſa eſt; Te Conditore Collegium erectum, ubi Ruthenis adoleſcentibus Catholica doctrina imbutis firmiſſimum paraſti contra errorum incurſus propugnaculum. Te Duce, aucta Eccleſiaſtici ordinis dignitas, amplificata ſacrorum relgio, Romana jura ſanctius cuſtodita, & inter irruentes undique procellas vindicata; quam quidem operae tuae felicitatem ex iis maxime rerum converſionibus intelleximus, quae poſt abſceſſum tuum conſequutae ſunt.

Interea Cardinali Cantelmo immortalis memoriae riae viro e vivis ſublato, lacrimis nobis & luctu perditis, cum nihil ſperandum videretur, illud accidit, quo nec majus

jus nec felicius ſperare aut cogitare potuiſſemus, nimirum ut Neapolitanus Archiepiſcopus renuntiareris ; qua certe laetitia nullum injuſto dolori praeſentius remedium fuit, cum praeſertim ſubires magno Innocentio de hac Eccleſia egregie merito, quem Neapolitana ſedes ad Petri Cathedram emiſit ; nam futurum rati ſumus, ut quemadmodum fauſtiſſimum eſſet Neapolitanae Eccleſiae Pignatellorum nomen , ita Neapolitana Eccleſia Pignatellis eſſet auſpicatiſſima ; Teque illius muneribus ſubeuntem aliquado ſupremos etiam ejus labores excepturum ; eaque ſpes nova gaudiorum acceſſione confirmata eſt, cum accepimus Te inter ampliſſimum Collegium S. R. Eccleſiae Cardinalium cooptatum. Quid autem tibi potiſſimum in ea dignitate gratulati ſumus? Primum quod magnis ſubactus experimentis , ita ad Romanam purpuram evocatus es, ut diuturna mora expetitus ad honores, non fortunae judicio, non majorum imaginibus, ſed rebus praeclare geſtis ornatus eſſe videaris. Deinde quod ab eo Pontifice electus eſſes , quem acerrimum praedicant virorum , & virtutum judicem. Quam magnum igitur fuit, ab eo in ſummo ordine primum omnium collocari , nec primum modo , ſed unum tantarum laudum praeconio , tantaque praedicatione factorum, ut ambigere profecto liceat, utri glorioſius ceſſerit, Tibi ne , quod tantum Principem nactus fueris rerum tuarum teſtem , an vero illi , quod tam luculento virtutis tuae teſtimonio Romanam Eccleſiam demeruit, & ſtimulos ceteris ſubjecerit ad capeſſendam alacriter , fortiterque gerendam Rempublicam . Innocentio debet Clemens traditam ſibi ornandi Tui oppportunitatem ; Tuque eidem Innocentio debes, quod eam ad honores ſemitam tenuerit, quae nullis unquam patuit , niſi exercita virtute probatiſſimis. Indignum ducebat Tui Optimus Pontifex , tuique conjunctiſſimus & amantiſſimus , ſi ab agnato Principe praemia tuliſſes, cum intelligeret purpuram nunquam tibi defuturam ; noluit eam Tibi laudis adceſſionem invidere , ut ab eo Pontifice acciperes , quicum ſola virtutis neceſſitate conjungeris . Sed nec humanitas Albanae gentis communione illius laudis arcenda eſt ; atque inſignis illa animorum conjunctio , ac mutua inter Te , & Albanam domum ſtudia , & incredibilis Horatii, & Annibalis erga te amor diuturnam dignitatis tuae moram uberrimo foenore compenſare debuerant . Quam enim Tibi jucundum, quam gratum accidit , cum in Aede Lauretana verbis ampliſſimis , & luculenta Annibalis oratione Tibi inſignia ſummi honoris delata ſunt ? Senſerunt tunc univerſi, quantum Tibi proceſſerit dilatus honor , & quantus fortitudinis tuae fructus conſtiterit: praeſertim quod B. VIRGINIS pa-

patrocinio, cujus ſervitio, & cultui jam inde a puero Te mancipaveras, inaugurata Tibi eſſent ampliſſimi gradus initia; quod Tu, P. E., ut eximio grati animi teſtimonio profiteris, pretioſiſſimo munere ſacram Aedem donaſti, non impari profecto tuae, & Annibalis pietati, cujus illud manibus obtuliſti.

Quis autem honores percenſeat, quibus Urbem inter laetiſſimas Rom. populi adclamationes invectus es? Nam vix certe frequentiore occurſu triumphantibus olim ducibus ſuis Roma proceſſit. Etenim in Te uno ſibi legere videbatur majorum tuorum illuſtria facta, recolebatque Innocentii memoriam nunquam interituram, in tot quidem tantiſque monumentis ſuperſtitem, ſed in virtutibus potiſſimum moribuſque tuis redivivam & immortalem. Utinam inter feſtas voces, plauſuſque, quibus Pignatello nomine populus undique Caelum perſonabat, caput e tumulo SS. Pontifex extuliſſet, & gratos Romanae gentis ſenſus, atque impenſa ſibi in tuis honoribus officia perſpexiſſet, Teque ad ſuos cineres procumbentem, & manantibus lacrymis pacem Beatiſſimis Manibus implorantem! Sane de caelo celebritatem diei illius deſpectabat Innocentius, & Tibi nova dignitate aucto laborum ſuorum metam praeſentibus auſpiciis deſignabat.

Nos interea praecepta laetitia adventus tui geſtientes, atque in eam expectationem intenti erectique diuturno deſiderio tabeſcere coacti ſumus; & quamquam acciperemus Romanae in Te Aulae effuſiſſima ſtudia, humanitatem tuam ſummis laudibus ad Caelum ſublatam, gravitatem judicii tui, atque in dicendis ſententiis ſapientiam ab Eminentiſſimis Patribus & a Clemente ipſo ſummopere commendatam; tamen iis ipſis crudeſcebat vulnus doloris, tantoque gravius ingemiſcebamus, quanto alios ſentiebamus noſtra jactura amplius locupletatos. Itaque jucunditas adventus tui multis nobis redemta eſt lacrymis, tantamque felicitatem diutiſſimis, ut par erat, precibus votiſque exoravimus; quam tamen Dei benignitas magnis incrementis cumulavit, moramque gaudiorum noſtrorum beneficiorum ſuorum magnitudine reſtituit. Non enim ex longo dumtaxat abſentiae tuae moerore triſtitiaque reviximus, ſed una ſimul emerſimus ex ingenti metu, & teterrima conflictione periculorum. Horret animus, atque ipſa temporum illorum recordatione expaveſcit, cum imminerent cervicibus noſtris inſtructiſſimae copiae, atque ingruentem belli turbinem certamque cladem formidaremus, ex quo pavore ac pene fati faucibus ita erepti ſumus, ut non modo luctus in voluptatem, metus in laetitiam, & diſcrimina in ſalutem eva-

ſe-

ſerint, ſed arma ipſa, quae caedem excidiumque intentabant, facta ſint nobis pacis pignora, & praeſidia tranquillitatis. Major erat Neapolitanorum felicitas, quam ut illa inferorum invidentia ferre poſſet. Itaque nova excita ſunt monſtra, quae flammis e Veſuvio monte erumpentibus, cineribus late diſperſis, concuſſionibus, tenebriſque, oculos & animos ferali apparatu internecionis opplerent. Sed ſenſimus plane quantum apud Deum pietate, & paſtorali officio vateres, Beato autem JANUARIO quam carus eſses; nam fuſis vix dum per Te precibus, adhibitoque SS. Martyris patrocinio, horribilis illius exitii facies in hilaritatem conceſſit, effuſoque in laetitiam populo D. O. M. gratulati ſumus, quod commodum reddiderit nobis conciliatorem pacis, vindicem quietis, propugnatorem ſecuritatis, periculorum & malorum omnium propulſatorem.

Te igitur abſentem non fuſis lacrymis expeteremus? Praeſertim vero non inſolitis gaudiorum ſignificationibus complectamur? Virum nimirum cunctis nobilitatis, dignitatis, & virtutis ornamentis cum optimis Principibus, & Paſtoribus ſanctiſſimis comparandum. Quam enim excelſi animi partem memoremus, in qua cuique ſapientiſſimorum hominum concedas? Fortitudinem? certe quiſque vitae tuae rationes perſpectas habet, novit neque intentatas Virorum principum offenſiones, neque cujuſquam gratiam aut periculorum metum Te de ſuſcepta ſententia dejicere potuiſſe. Prudentiam? At quae fuit ardua negotiorum conditio, quam non explicaveris? Quis Te unquam queſtus eſt vel delatorum fraudibus circumventum, vel judicii feſtinatione praecipitem? Liberalitatem? Tibi vero non eſt ſatis, quod reditus omnes tam effuſe largiaris; verum tenuiſſimos etiam ſumtus victus tui minuiſti, ut alienae inopiae uberius ſubvenires. Humanitate autem ita omnem memoriam provocas, ut neminem unum invenire ſit, quem tecum contendamus; & quamquam ea eſt veluti inſigne familiae tuae, in qua ſemper patuit miſeris, adflictiſque perfugium, probis vero & ſapientibus praeſidium; tamen illud proprium, ac tuum eſt prorſus, E. P., quod litteris & ſapientiae laude commendatos viros non modo amplectaris & foveas, ſed abditos quoque quaeras & ſcruteris, ut beniſiciis tuis augeas & ornes. Eſt enimvero incredibilis tuus in litteris amor, in quibus omnem aetatem feliciter tranſmiſiſti, unde & omnem nunc auctoritatis aciem eo intendis, ut in Eccleſiaſtico potiſſimum ordine ſtudia bonarum artium excites; ea vero ut in hoc Seminario tuo vehementius inflammares, quid tibi reli-

quum feciſti ? quibus verbis , & promiſſis provocare dignatus es , quantis beneficiis urgere , ac veluti ſtimulis additis incitare?

Certe nihil nobis optandum ſupereſt , quam ut optimis diſciplinis & virtutibus colendis non indigni tot beneficiis tuis eſſe videamur ; Neapolitanae vero Eccleſiae nihil ad votorum ſummam deſiderandum, quam ut rata ſit jucunditas nobis adventus tui, tuaeque incolumitatis perpetua laetitia.

Digitized by Google

ORATIO
A CAROLO MAJELLO
BIDUO CONCEPTA ET HABITA
IN AEDIBUS SEMINARII NEAPOLITANI
Pridie Non. Nov. An. MDCXCVI.

Juſſu Eminentiſſimi Domini

S. R. E. CARDINALIS
JACOBI CANTELMI
Pro recuperata salute
CAROLI II.
HISPANIARUM REGIS.

SI maximam Orbis utriuſque laetitiam, invictiſſimo Hiſpaniarum Rege Carolo a fati faucibus Divina ope ſervato, oratione quiſpiam comprehendere poſſet, aut aperire, aut ſi qua tanta eſſe poteſt dicendi copia, quae tanto argumento non indigna prorſus, & impar videretur; in ſumma nos virium, ingeniique imbecillitate conqueri non immerito deberemus, quod magnis de rebus dicturi in bidui anguſtias conjiceremur. At quoniam nulla dicendi facultate, aut ingenii praeſtantia, aut temporis, ſtudiique diuturnitate ab Oratoribus univerſis ita de maximo hoc Divinae largitatis beneficio diſſeri poteſt, ut pro rei dignitate dictum appoſite videatur, de ipſa temporis brevitate laetandum nobis eſt, quae aliqua nos venia dignos efficiat: ſi nec recenſere verbis argumenta laetitiae, nec ornare oratione beneficii magnitudinem poſſe videamur. Itaque nec de ratione dicendi, nec de illuſtri orationis ingreſſu ſollicitus, undenam potiſſimum initium ducam nihil torquebor; quocumque enim me vertam, uberrima dicendi ſeges oboritur.

Atque ut acerbitatem primum teterrimae calamitatis Divina ope propulſatam animo conſideremus: quid triſtius, aut luctuoſius fingi potuiſſet, quam exardeſcente tantis bellorum

 in-

incendiis Europa, florentiſſimis Nationibus Regibuſque tanto ardore dimicantibus, tot, tantiſque regnis acerrimis inter ſe armis viribuſque concurrentibus, ac toto in partes Orbe diviſo, Hiſpaniarum Regem tantarum rerum molem Divino conſilio gerentem inopinato concidiſſe, & regnorum gubernacula tantis in tempeſtatibus reliquiſſe? Horret animus meminiſſe acerrimorum hoſtium noſtris infortuniis inſultantium, populorum optimo Duce amiſſo diſſidentium, nationumque plurimarum fati acerbitate ingemiſcentium. Quid enim futurum ſit, imperio tam longe lateque diſſeminato, atque ad extremas oras propagato, maximi Principis jactura concuſſo? Nunquam enim ingentes moles ſubita ruina labantes concidunt, quin vicinas etiam eadem ſecum ruina invollant, atque convellant. Heu quantis Italia cladibus, & ſanguine redundaret! quot hoſtium claſſes ad noſtras oras ſtudio inflammato ruentes cerneremus? quantis fluctibus jactaretur Hiſpania? Res omnes foederatorum Principum triſtiſſimo eventu perculſae jacuiſſent: Gallia maxime ditioni inhians, elatioribus ſeſe animis erexiſſet: adfectae Turcarum vires noſtra jactura, diſſidiiſque convaleſcerent, & noſtris, ut antea, cervicibus imminerent. Quid autem virtutum omnium luctum commemorem? Neque enim alias ſibi viam muniturum, qua per florentisſima regna graſſaretur, ratus Infernus Hoſtis, hunc virtutis adſertorem adgredi conſtituit: cujus nefarios conatus, niſi Superum favor, & Virginis patrocinium repuliſſet, quanta criminum monſtra erupiſſent, recenſere ſuperſedeo, ne tantorum commemoratione malorum, communis laetitiae ſenſum imminuere oratio mea videatur. Quantum igitur Deo Opt. Max. debeamus, quod tantas clades averterit, novorum bellorum motus prohibuerit, tot regnorum turbas & luctum depulerit, virtutumque vindicem ſervaverit, unus quiſque facile intelligit.

Sunt tamen alia quamplura, quibus ingens cumulus caeleſtibus hiſce beneficiis accedat, ut enim omittam mortis praeſentiam, periculique magnitudinem, ex quo divinitus ereptus eſt, ita ut a pleriſque audita morbi atrocitate, vel deceſſiſſe jam, vel parum morae eſſe quod viveret, crederetur. Nonne illud ſingularis beneficii loco ponendum eſt, quod periculum ſimul, & ſalus una litterarum ſignificatione innotuerit? Neque antea triſtis de morbo rumor, quam laetus de incolumitate nuntius manarit? Quo non ſolum Divinum tanto Regi praeſidium praeſto fuiſſe, ſed non leves etiam tumultus, & calamitates prohibuiſſe deprehendimus. Norunt enim plerique omnes, quam ſollicitae res ſit muta-

tionis

tionis ſuſpicio, tam opulento potiſſimum in Imperio, cui univerſi prope terrarum Orbis Nationes cohaerent, cunctorumque res & fortunae continentur: non ſolum enim fides in negotiis ubique fere gentium penitus concidiſſet, ſed & cetera mala, quae per ſeſe unuſquiſque intelligit, exarſiſſent.

Ut autem Divini muneris praeſtantiam luculentius aperiamus, operae pretium me facturum arbitror, ſi quanta in unius anima nobis bona ſervata ſint, oratione percenſeam. Neque enim quid populis Deus, Carolo ſervato, praeſtiterit, compertum cuiquam eſſe poteſt, qui exploratum quoque non habeat, quid vaſtiſſimo omnium Imperio Carolus ipſe praeſtiterit. Quoniam autem tria ſunt Regnorum omnium, rerumque publicarum firmiſſima praeſidia: Arma, quibus hoſtium impetus coercentur: Leges, quibus fracta perditorum hominum impudentia, publica tranquillitas fovetur: & Religio, qua & Divinum imperium agnoſcitur, & ſupernarum copiarum auxilia coguntur, & aeternum tandem felicitas comparatur. Quod uſquam imperium Hiſpano fuit, Carolo regnante, aut armis potentius, aut Legibus ſanctius, aut Religione auguſtius? Neque enim ullum fuit belli genus, quo non illud temporis calamitas exercuerit; neque ullum eſt etiam, unde victorias praeclariſſimas non reportarit. Quamquam enim Italico ſimul, Belgico, Tarraconenſi, & Africano premeretur; tamen capto hoſtium aſylo in Italia triumphavit; iiſdem Barcinonenſi ab obſidione depulſis, illius regni caput ſummis periculis explicavit; Namurcenſi arce armorum vi occupata, exultantes adverſariorum animos domuit, & fregit: & Mauros Ceutae inhiantes incredibili virtute ſuſtinuit. Quod tempus majorum memoria aut armis incitatius fuit, aut cladibus luctuoſius? Quando unquam Auſtriaca domus pluribus, aut acrioribus hoſtibus attentata eſt? & tamen nunquam triumphis illuſtrioribus eſt cumulata, ut ſub uno Carolo vires ſuas agnoviſſe, externiſque Nationibus probaſſe, Hiſpana potentia videatur. Quae ſane niſi ſapientiſſimi Regis conſilio fuiſſet adminiſtrata, crebris tot, tantorumque adverſariorum incurſibus concidiſſet. Quanta igitur auctoritate & virtute, aut quanta armorum bellorumque felicitate illum fuiſſe exiſtimemus? qui cum hoſtibus innumeris, iiſque potentiſsimis urgeretur, cum ad graviſsima diverſis in locis bella uno eodemque tempore diſtraheretur, adfectaque valetudine ſaepe decumbere cogeretur; tamen non ſolum nulla cum dignitatis aut imperii jactura, ſed magno cum gloriæ & ditionis incremento ita hoſtes excepit, ut vinceret; ita bella geſſit, ut triumpharet. O incredibilem tanti Regis felicitatem! O ad-

O admirabilem Auſtriaci nominis gloriam! cui nulla eſt praeteritarum gentium, quae vel imperii magnitudine, vel bellica virtute conferatur!

Quid autem de Legum ſanctitate dicamus? cum illae nuſquam terrarum integrius, ſeveriuſque colantur, ut jamdudum Hiſpanica ſeveritas apud exteras Nationes in fidei, & integritatis proverbium manarit. Qua enim ratione fieri poſſet, ut immenſa prope Hiſpanici Imperii moles tam varias nationes, populoſque complexa, tanta firmitate cohaereret, niſi ſanctiſsimarum Legum vinculo contineretur? Itaque nihil eſt apud Hiſpanos Legum ſtudio celebratius, nihil ſanctius ut propterea ad regendas gentes, reſque publicas adminiſtrandas nati eſſe videantur. Id autem ſub Carolo quam late vigeat, illud erit argumento, quod cum in ſanctiſſimas quaſque civitates armorum licentia cuncta labefactet, leges corrumpat, moreſque perditiſſimos invehat, nihil ab Hiſpanis contra jus faſque vel in ipſis irruptionibus, medioque armorum victoriaeque ardore admiſſum audivimus. Cumque aliarum gentium exercitus ea perpetrare nihil morentur, quae pudor prohibet recenſere, Hiſpani legibus addictiſſimi ita victoriae inſolentiam norunt temperare, ut victos in eorum nomen tranſiiſſe non pigeat. Capta deinde tam ſancte adminiſtrant, ut nemini mirum eſſe debeat, quod cum arces praecipuas intra hoſtium fines vel barbarorum regna poſsideant, illae tamen iis malinr obtemperare, quam ſuis. Id autem nonne excellentiſſimus Medinae Caeli Dux ſapientiſſimus regni hujus Prorex luculentiſſime probat? qui gentis ſuae gloriam conſilio, ſapientia, juſtitiaque, mirifice propagavit, cum Neapolitanum Regnum ſumma legum cuſtodia, integerrimaeque juſtitiae ſtudio gubernet. Nunc demum credere coepimus tantis olim Hiſpanos homines non ſolum belli, ſed pacis etiam artibus floruiſse, ut per totum terrarum Orbem ditionem ſuam facile diſseminarint. Quae quidem omnia uni Carolo accepta ſunt referenda, qui cum inſtituta majorum, Legeſque ſuas nec immanitate temporum, nec impunitate belli violatas ſtudeat ubique ſanctiſſime cuſtodiri, pares tanto deſiderio & muneri deligit adminiſtros.

Supereſt ut quanto Is ardore Religionem adſerat, videamus. Neque in hanc rem multis diſſeram; cum tanti Regis, Regnique Religio omnibus paſſim ſermonibus uſurpetur. Nemo enim ignorat Eccleſiae jura quanto ſtudio tueatur; ſacras perſonas, reſque omnes Divino cultui dicatas quanta reverentia proſequatur. Nuſquam enim gentium, aut locupletiora viſuntur; nuſquam largiora Eccleſiae Miniſtris ſtipendia diſtri-

ſtribuuntur. Quid Eccleſiaſtica Hiſpanorum diſciplina gravius unquam potuit inveniri? Quid Hiſpanorum Regum in delendis exterarum Religionum veſtigiis ſollertia praeclarius? Mauros exterminatos, Hebraeos pulſos, Haereticos profligatos quis ignorat? Itaque gens quaecumque a Fide, & Religione Romana defecit, eadem ab Hiſpana ditione, verae Religionis propugnaculo, deſcivit; quaeque oppida in Belgio Hiſpanum amiſit imperium, eadem Romana Eccleſia amiſſa condoluit. Florentibus autem Caroli rebus, vehementius idem non ſolum adſerendae, ſed propagandae etiam Fidei ſtudium exarſit; Is enim cum incredibili pietate in Principum exemplum evaſerit, & cunctis ornatus virtutibus religioſiſſimus praedicetur, tanto ſervandae dilatandaeque Fidei deſiderio aeſtuat, ut non ſolum nulla adverſae ſuſpicionis labecula Regnorum ſuorum Religionem foedari patiatur; ſed impenſis etiam ſuis, ſedulaque opera ad barbaras oras Evangelii Praecones mittere inaudita pietate laboret. Hic igitur miramur acerrimum hunc Fidei propugnatorem, tantis Superum beneficiis in dies augeri, tantis victoriis fortunari? Igitur armorum noſtrorum gloriam, ſanctarum legum cuſtodiam, & Religionis ſplendorem in unius ſpiritu pene labantem, reparatum accepimus.

Quanta igitur nos laetitia exultare, quam feſſis vocibus, & hymnis caelum complere, quibus demum gaudii argumentis animi ſenſus convenit aperire? Si enim fractis ſaepe hoſtium copiis, laetoque victoriae alicujus nuntio in voluptatem, laetitiamque diffundimur; ſi arce quapiam ab hoſtium manibus recepta, luminibus, gratulationibus, atque omni laetitiae ſignificatione animi ſenſus teſtamur; quis erit laetitiae modus edomitis non hoſtium ſed mortis viribus, nec arce aut regno, ſed Rege ipſo ab interitu recepto atque ſervato? Quod ſi Regum nativitas populorum votis, ludis, atque ſpectaculis celebratur; quibus pompis muneribuſque feſtos hos dies decet conſignare, quibus renatum fere, & a mortis faucibus reſtitutum Regem potentiſſimum ſalutamus? Eſt ſummo quidem jure in ortu Principis laetandum, quod confirmari imperium regali progenie videatur, iſque futurus cenſeatur Pater Optimus ſubditorum; eſt tamen incerta laetitia, quam ſaepe eventus rerum vel ob fati inclementiam, vel ob degeneres illius mores in luctum commutavit. At nos de eo Rege ſervato gratulamur, quem Regnorum ſuorum Parentem benignitas comprobavit; fortiſſimum in adverſis bellorum diuturnitas oſtendit; ſollertiſſimum in providendo temporum calamitas demonſtravit; feliciſsimum

inter Principes tot tantaeque victoriae teſtantur, caeleſti denique Aulae acceptiſsimum tanti beneficii magnitudo fatetur.

Quo quidem ad cetera expectanda alacrius excitamur. Futurum enim confidimus, ut confractis Auſtriaci nominis hoſtibus, ac pace terra marique parta, ad ultimas Orbis regiones Caroli imperium cum Religione propagetur, ac ſorte deleta etiam vitiorum ſobole augeatur, ut opulentiſsimum regnum, quod aeternum fore divina beneficia pollicentur, novis ſemper laetitiae gloriaeque incrementis augeſcat; ſubditorumque animos hujuſce beneficii expectatione ſollicitos hoc laeto recreet nuntio; ac totum terrarum orbem tantis jamdiu malorum fluctibus jactatum exhilaret, atque confirmet. Votis igitur, precibusque coetum omnem complentes, innumeras Superis omnibus agamus, quod & impendentia mala ſuo praeſidio cuſtodiaque depulerint, ſpemque noſtram pene labantem refecerint, & excitarint; ſingulares tamen B. JANUARIO praeſtantiſſimo hujus Regni tutelari gratias habeamus, quod continenti liqueſcentis cruoris miraculo, praematuro veluti nuntio tanti beneficii facere nos curaverit certiores, praeceptaque laetitia Civitatem addictiſſimam, regnumque compleverit. Illud ſupereſt, ut inter celeberrima hujus Urbis feſta, hanc qualemcumque amoris laetitiae ſignificationem Seminarii conatus expromat, & ſi minus potuiſſe, quae voluit; certe voluiſſe, quae potuit, in tantis licet anguſtiis, oſtendat.

F I N I S.

INSTITUTIONVM
POËTICARVM
LIBRI TRES
AD VSVM
SEMINARI
NEAPOLITANI.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

NEAPOLITANI SEMINARI.

ADOLESCENTIBUS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

POST Oratorias Inſtitutiones nihil magis exſpectandum vobis erat, Juvenes ornatiſſimi, quam ut continuo Poëticae traderentur. Etenim ſi teſte Tullio (1) omnes ingenuae artes *habent quoddam commune vinculum, & quaſi cognatione quadam inter ſe continentur;* vix porro dici poteſt, quam id praecipue de Oratoria & Poëtica facultate compertum ſit. Neque enim dubium eſt, quin hujus ſocietate & praeſidio deſtituta illa haud facile quavis ex parte conſtare queat; quippe quae quidquid magnificentiae venuſtatiſque prae ſe ferre conſuevit, id non ferme aliunde quam ab ipſius poëſis fontibus hauriat; a qua ſcilicet, ut inquit Quintilianus (2), *& in rebus ſpiritus, & in verbis ſublimitas, & in affectibus motus omnis, & in perſonis decor petitur.* Quae omnia cum ſint ejuſmodi, ut ubi iis careat eloquentia, non niſi exſucca veluti atque exſanguis videri debeat, certe quidem hinc patet, quantum Poëtice, unde eadem abunde ſuppeditantur, oratoriae facultati afferat emolumenti; quantoque opere, ut ſummum hujus robur exſiſtat, alteram cum altera colligari neceſſe ſit. Sed & illud praeterea datur ex his colligere, nimirum quam eximia ſit poëticae artis praeſtantia,

(1) *Pro Arch.* 1. (2) *Lib.X.* 1.

tia, quae eloquentiam, potiſſimam illam animorum dominatricem ad mortalium commoda ſingulariter natam ſuis ipſa viribus inſtruit & confirmat.

Sunt vero & alia plura rationum momenta, quae ejuſdem artis excellentiam ac dignitatem mirifice oſtendunt. Nam neque non plurimi haberi eam diſciplinam oportet, quae non ad inane quidem aliquod, ut credi ſolet, oblectamentum, ſed ad vitia potius exſtirpanda, ad virtutes in majus provehendas, ad recte omnino inſtituendam vitam, ad religionem ornandam illuſtrandamque, ad Dei denique laudes quam ſubliſſimo inter homines fieri queat dicendi genere celebrandas ex ſuae originis vi eſt comparata. Neque porro ad ipſius commendationem perleve illud eſt, quod ab antiquiſſimis uſque temporibus ſacroſancta Chriſti Eccleſia non male cum ſuis cariſſimis filiis ac ſecum actum crediderit, ſi iidem poëticae facultati colendae ac veterum poëtarum verſandis operibus mature admoverentur: non quidem magis ut ethnicam ſuperſtitionem quaſi indidem petitis armis, ſicuti fermo olim ſuomet ipſius gladio Philiſthaeum David, facilius oppugnarent; quam ut plurima ibidem ſparſa ſapientia documenta vel ex ipſorum hoſtium praeceptis arriperent; atque ut per id litterarum percommode informatis animis, ad quaelibet deinde ſcientiarum genera aſſequenda aptiores evaderent. Quibus ſane juſtiſſimis de cauſſis cum non minimum priſcis illis ſaeculis poëticae artis ſtudium vigeret, cumque in eo perſequendo nil vulgo aliud, quam ſolida quaedam utilitas, in primiſque Catholicae religionis non vulgare praeſidium atque ornamentum quaereretur; in-

credibile dictu eſt, quam multa inde tum publice tum privatim emolumenta emanarint.

Quae cum ita ſe habeant, videtis jam vos ipſi, Adoleſcentes optimi, quam apposite ad inſtituti veſtri rationem Poëticae Inſtitutiones in manus vobis tradantur; quidque ſimul in opera iis adhibenda propoſitum habere potiſſimum debeatis. Etenim ſi eadem illa, quae quondam noſtri majores, vos quoque eorum veſtigiis inſiſtentes in hac conſectanda facultate unice ſpectaveritis; vobis etiam procul dubio ſummum operae pretium fecisse aliquando gloriari fas erit.

Illud vero omnium maxime fixum vobis in animo ſit oportet, ita poëſim tractandam esse ut ne unquam ex qua emolumenta, quae prodidimus, comparare contenditis, ea ipſa fraudi vobis ſit ac detrimento. Exploratiſſimum enim eſt, inter plurimam ab antiquitate traſmiſsam carminum congeriem non pauca eſse, quae teterrimo infecta veneno non prope niſi ad corrumpendos mores atque ad exitium afferendum prodiſse videntur. Quam quidem ſnmmopere deteſtandam peſtem ſaepe ethnici ipſi homines, non Chriſtianae modo diſciplinae vindices, exſecrati ab ea ſummo ſtudio, juvenili praeſertim aetati cavendnm eſse conclamarunt. Itaque in hoc praecipue tota vobis cura ponenda erit, ne nimis libera quorumlibet poëmatum lectione in damnum aliquod vel inopinantes incidatis. Id autem, quidquid periculi ſit, ita tandem in proclivi erit declinare, ſi ex Baſilii M. incomparabili monito aptum ſedulitatem in utiliſſimis quibuſque minimeque noxiis deligendis fueritis imitati; in primiſque ſi a ſapientiorum conſilio, quod recta vos ducat, ne latum quidem unguem diſceſseritis.

Ve-

Verum de hac tota re vos pluribus commonere non neceſse habemus; quos ſcilicet tum legum, quibus vivitis, ſanctitas, tum eorum, qui veſtri curam gerunt, vigilantia non plane ad alios, niſi ad limpidiſſimos fontes accedere patitur. Atque ab hac certe fuit cauſsa, quamobrem non multis abhinc annis veterum poëtarum Delectus veſtro potiſſimum uſui ederetur, ubi eorumdem lucubrationes omni ex parte deterſas perlegere tuto liceret. Cum igitur perbene res veſtra habeat, illis potius adoleſcentibus, quorum alia a veſtra conditio ſit, eam mentem exoptamus, qua ſuis ipſis rationibus conſultum velint, atque in poëſis ſtudio nil niſi fructuoſum quaerere inducant animum, earumque propterea editionum poëmata ſibi proponant, quae jam ante perpurgata nihil a candore morum praebeant alienum. Neque enim iidem majore quidquam ſedulitate perſequi debent, quam ut ſua aetas procul omni labecula perquam integre inſtituatur; cnm veriſſimum ſit quod ille olim cecinit:

Quo ſemel eſt imbuta recens, ſervabit odorem
Teſta diu.

INSTITUTIONVM .
POËTICARVM
LIBRI TRES

ANTELOQVIVM
DE
NATVRA POËTICES.

NON pauca, nec minimi momenti ſunt, quae de Arte poëtica differturis in ipſo ſtatim veſtibulo ſeſe offerunt ; quae cum omittenda plane non ſint, tum vero ſi primum omnium aperiantur, maximo ad rem totam illuſtrandam eſſe poterunt adjumento. Nos igitur, ut tironibus hujuſce facultatis cupidis pronius paretur iter, ab illis ipſis enucleandis exordium ducemus; ac de Poëtices Etymo, de Natura, de Materia, de Fine, de Auctore quaecumque ſcitu digniora videbuntur, brevi heic ſermone declarabimus.

I. Non aliunde *Poëticen*, reliquaque affinia ei vocabula, quam a graeca voce ποιέω (*facio*, *formo*, *creo*,) derivata fuiſſe, exploratum quidem omnibus habetur. Vtrum autem a verſibus *condendis*, an a *fingendis* fabulis id appellationis genus huic arti quaeſitum fuerit, hoc vero a non paucis in dubium vo-

vocatur. Sunt enim plures, qui tum Platonem hujuſmodi ſententiae principem, tum Ariſtotelem non levius eadem docentem ſecuti arbitrantur, nullos, niſi fabularum artifices, jure poetas appellari poſſe, ac propterea nullam eſſe ſine imitatione poeſin.

Verum etſi fateri oportet, meros verſificatores & carmina tantum pedibus inſtruentes poetarum nomine donandos non eſſe; quod & diſerte affirmat Hor. I. Serm. 4. non tamen videtur inficiandum, ubi quis dictionis granditatem a vulgari ſermone adhorrentem cum metro conjunxerit, in illorum debere numerum referri, licet ficti nihil in medium afferre contenderit.

Id verò oſtendit e reliquis prima ipſa poeticae artis origo; quippe cum multo antiquis fuerit vera, quam commentitia argumenta carmine conſectari. Vt enim nihil heic proferatur de pervetuſtis ad Deum O. M. celebrandum Canticis, quae in ſacris adhuc exſtant codicibus, a quali praecipue genere nobiliſſima tantae facultatis exſtitere primordia; priſcis porto etiam aetatibus prodierunt & apud Grecos Hymni Homero auctori attributi; & apud primi aevi Romanos verſus Saliares, praeter alia multa id genus carmina deinceps ſubſecuta, quibus miſerae illae gentes Deo ſuos, licet omnino fictitios, pro veris tamen habitos ſine ulla verborum ſimulatione commendabant.

Deinde autem converſa poeſis ad illuſtrium virorum geſta virtuteſque extollendas (quod maxime in epulis olim factitatum refert Tullius I. Tuſcul. 2.) neque etiam tunc aliud niſi ſummam rerum veritatem perſequi ſtudit. Quid vero, quod ea fuit veteris Comediae ratio, uti ſuo loco videbitur, ut non ementitas quidem, ſed quotidianas ipſas hominum actiones exiberet? Huc denique accedit, quod non eſt cenſenda veritas adeo poetis inviſa, ut nunquam eam ſincere tradere induxerint animum: qui ceteroquin & naturae arcana, & moralis diſciplinae praecepta, & annalium monumenta carminibus non raro mandare conſueverent.

E quibus omnibus illud per ſe conſequitur, poeſim non in ſola imitatione & fabularum fictione conſiſtere, cum conſtet a primo ortu ita inſtitutam, ut non niſi metro ac dictione a pedeſtri dicendi genere abſcederet. Idque profecto ipſum non obſcure ſignificavit Tullius in Orat. 20. ubi inquit: *Etiam poetae quaeſtionem attulerunt, quidnam eſſet illud, quo ipſi different ab oratoribus, numero maxime videbantur antea, & verſu: nunc apud oratores jam ipſe numerus increbuit.*

Quamquam verò deinde, ubi ad ficta etiam argumenta ars

ars poetica devenit, longe illuſtriore nomine vocari Poetae coepti ſunt, qui eorumdem tractationem ſuſciperent; nunquam tamen ejecti ex eo numero fuerunt, qui nihil quidquam confingentes intra merae veritatis terminos continere ſe mallent, quales plerumque ſunt Lyrici, Satyrici, & Elegiaci.

II. Quae cum ita ſe habeant, recte quidem Poetica definitur: *Ars condendi carminis ſtylo ac dictione ſublimi*.

Heic autem illud aliquibus non arridet, ut tota haec poetici ſermonis ratio praeceptis concludi & tradi poſſe credatur; quippe cum & ipſam non ab arte, ſed a natura exſiſtere, & poetas non alia vi, quam divino quodam inſtinctu ad fundenda carmina excitari arbitrentur. Et ſane quemadmodum id olim docuerat Plato, ita & ſe non aliter ſentire oſtendit Cic. pro Arch. 8. his verbis: *Atqui ſic a ſummis hominibus eruditiſque accepimus, ceterarum rerum ſtudia & doctrina, & praeceptis, & arte conſtare, poetam natura ipſa valere, & mentis viribus excitari, & quaſi divino quodam ſpiritu afflari.*

Verum hanc ſententiam non omnino conſiſtere, cuilibet rem accuratius expendenti facile intelligetur; nec propterea quidquid in eam locuti ſunt veteres, ejuſmodi eſſe, ut e verborum potius ratione, quam aliquo probabili ſenſu ſit accipiendum. Quamquam enim indubium eſt, ingenium ſane quam acre ad rem poeticam opus eſſe, atque etiam, ſi placet, quemdam animi impetum e grandium tractandarum rerum meditatione profectum; illud tamen nequaquam probari poteſt, poetam nullis inſtitui debere praeceptis, cum non raro acciderit, ut natura praeſtantes viri artis defectu in ridendos errores lapſi ſint, rurſus vero non ſublimi ingenio alii ad multam laudem arte magiſtra ac duce pervenerint; Itaque ſcite admodum Horatius in Arte ſic paucis de re tota ſtatuit:

Natura fieret laudabile carmen, an arte,
Quaeſitum eſt. Ego nec ſtudium ſine divite vena,
Nec rude quid proſit video ingenium: alterius ſic
Altera poſcit opem res, & conjurat amice.

III. Jam quod ad poetices Materiam attinet, certe quidem de ea ſentiendum eſt cum Tullio I. de Orat. 16. ejuſmodi in hoc genere poetae eſſe cum oratore affinitatem, *nullius ut terminis circumſcribat aut definiat jus ſuum, quo minus ei liceat eadem illa* (qua orator) *facultate & copia vagari, qua velit.*

Id vero ex iis etiam non paucis, quae paullo ante in de poeticae veriloquio enuntiata ſunt, maximopere confirmatur, Quapropter cum ſatis explorata res longiore ſermone non egeat, agedum ad reliqua quae ſuperſunt excutienda gradum faciamus.

IV. Finem poetices eſſe *docere* ſimul & *delectare*, communis ſapientum omnium eſt opinio. Itaque Horatius ibid. cecinit:

Omne tulit punctum, qui miſcuit utile dulci,
Lectorem delectando pariterque monendo.

Inſtitutio autem, quam propoſitam poeſis habet, morum potiſſimum diſciplinam ſpectat. Unde patet, quantae ſit haec ars praeſtantiae, & quam merito inter ceteras facultates publicae felicitatis adminiſtras relata fuerit, quippe ad id unum nata, ut vitia inſectando vitamque ad rectam normam dirigendo quam maxima civitatibus comparet emolumenta.

Atque heic anſa nobis praebetur ad confutanda ea, quae adverſus ipſius uſum dignitatemque ab aliquibus afferuntur. (1) Primum enim graviſſimum Platonis nomen objiciunt, qui eam tamquam civibus exitioſam e ſua republica eliminarit. (2) Ad haec Deorum rixas, inquiunt, pugnas, vulnera, aliaque a divinitate prorſus aliena ſine religionis morumve detrimento apud poetas, qui ſe humani generis magiſtros profitentur, legi non poſſe. (3) Nihil denique anilium fabellarum ineptias, e quibus vix in puerilem aetatem quidpiam oblectamenti redundaret, ad gravem utiliaque quaerentem hominem attinere.

1. Verum de Platone egregie illi quidem opinantur, qui poeſim non tamquam noxiam, ſed tamquam non omnibus opportunam, ſuis ab ipſo civibus interdictam fuiſſe contendunt; ea nimirum de cauſſa, quod quae non raro a poetis ἀλληγορικῶς (*allegorice*) dicerentur, quaeque reapſe plurima ſapientiae documenta continerent, eadem non bene intellecta indoctae multitudini fraudi eſſe quirent.

At eſto: ejecerit ſane ille ut quam maxime exitiales e republica ſua poetas. Quid tum inde? Factum id quidem certorum quorumdam cauſſa, qui cum religionem in vulgus certe probatam, at reliquorum judicio ſummopere depravatam carminibus proſequerentur, ea de Diis effutiebant, quae ſapientioribus minime arriderent. Plato igitur, ut ne quod Socrati poeticos in primiſque Homericos Deos propalam averſato contigerat, idem ſibi obveniret, utque rurſus ab iis optime inſtitutae reipublicae caveret, eos inde quaſi aliud agens exterminatis poematis clanculum ſtuduit amovere. Hinc vero non recte quis colligat, poeticum per ſe ipſum nomen ſummo illi philoſopho exſecrabile fuiſſe; qui contra quanti poetas haberet, ſi aliunde minus, vel ex hoc intelligi poteſt, quod & eos *Deorum interpretes* appellaret, & ipſorum auctoritates, ut magni quid momenti, ſaepiſſime adhiberet. Nihil

hil itaque a Platone eſt, quo quidquam poeticae artis exiſtimationi decreſcat.

2. Neque vero deterius aliquid timendum ab iis eſt, quae a poetis improbe & ſtulte dicta opponuntur. Hoc enim totum quidquid criminis ſit, non quidem poeſi, ſed poetis ipſis tribuendum eſſe nemo non videt; cum nihil plane inter ſaluberrimas quaſque res exſtet, quod non ſaepe iniqua hominum ingenia & ad ſuum, & ad aliorum exitium convertant. Atque hinc certe natum, ut jam olim plures vel ethnicae ſectae homines, inter quos praecipue Ariſtoteles & Plutarchus, cum de rei poeticae utilitate minime dubitarent, non promiſcue tamen omnium manibus omnia poetarum opera teri vellent.

3. Quod autem ad fabularum inſulſitatem cordato homine indignam attinet, facillime id quoque recta earum ſpectata origine evertetur. Compertum enim eſt, ad hoc maxime fictas ejuſmodi narrationes excogitari primitus coepiſſe, ut quodam ipſae veluti involucro tum recondita naturae myſteria tum exquiſita ſapientiae monita obtegerent; quo ſcilicet quaecumque a philoſophis aperte docebantur, eadem a poetis occulte ſimul & jucundius traderentur. Itaque modo ex earum numero illas exemeris, quae auctorum vitio non niſi germanae naeniae dici queant; reliquae porro ita confictae ſunt, ut licet prima ſpecie abſurdae prorſus ac ridiculae videantur, ubi tamen enucleatae fuerint, pulcherrimis refertae documentis deprehendantur.

Hinc varia illa, quorum frequens apud poetas uſus, ad animarum in inferis cruciatus ſpectantia figmenta ita accepta antiquitus fuiſſe teſtatur Macrobius I. in Somn. Scip. 10. ut per vulturem quidem immortale Promethei jecur perpetuo tundentem, conſcientiae tormentum ex aſſidua admiſſorum ſcelerum recordatione profectum intelligeretur; per Tantali in omni ciborum copia inediam, hominum habendi cupidorum in immenſis etiam opibus egeſtas; per Siſyphum immane ſaxum fruſtra volventem, vitae genus irritis conatibus laboribuſque traductum; per alia denique ſupplicia aliae aegritudines moleſtiaeque, quibus mortalium animi corporeo incluſi carcere affici ſolent. Quod certe e reliquis multis exemplum ſatis oſtendit, quo tandem fabuloſa commenta per ſe vulgo ſpectarent, etſi non raro ad ineptiſſimam quamdam garrulitatem a levioribus ingeniis detorquerentur.

V. Illud heic modo ſupereſt, ut de Auctore poetices pauca ſubjiciamus. Hac autem in re ceteris omnibus ſententiis, quarum aliae aliis ejus artis inventae laudem, at nulla

ſatis probabili ratione, attribuunt, illa maxime anteferenda videtur, quae primam ipſius originem ab Orientis incolis arceſſit. Neque enim non facile cuivis animum advertenti ſeſe probat, quod ſentit Scaliger I. Poet. 1. non aliunde ſcilicet, quam a natura, numerorum carmina inſtruentium rationem exſtitiſſe; quippe cum per ſe ipſa humana vox modos ſuos graviores acutioreſque habeat, quibus ad temporis etiam menſuram temperatis nec opinato utatur. Quare illic omnino fas eſt credere hanc hominibus inſitam facultatem excultam primum fuiſſe, ubi primi omnium mortales in hanc orbis terrae lucem prodierunt; praeſertim vero cum vix paucis ab Adamo gradibus ſejunctus Jubal artem canendi cithara excogitaſſe tradatur Gen. IV. 21.

His autem non levibus graviſſimum porro illud momentum adjicitur, quod vetuſtiſſima, ut ante dictum, apud Hebraeum populum fuere cantica, e quorum non paucis, quae ad id temporis perennarunt, duo praecipue univerſis, quae ſciantur, aliunde profectis carminibus antiquitate longe praecedunt; alterum, quo poſt trajectum Erythraeum mare Moyſes & Maria in divinas ſeſe laudes effuderunt Exod. XV. alterum quo idem Moyſes beneficia a Deo O. M. in Hebraeos collata, male autem ab his retributa recenſet Deut. XXXII.

LI.

LIBER PRIMUS
DE REBUS ET VERBIS POETICIS.

CUm plura artis poeticae praecepta univerſis poematum generibus communia ſint, operae pretium erit, antequam ad ſingulorum propria deſcendamus, de iiſdem quidquid res poſtularit, exponere. Ea vero quoniam ad duo illa totius dicendi diſciplinae capita, Res nimirum & Verba, revocantur; idcirco nos de utriſque univerſo hoc Libro acturi, primum quidem poeticam Fictionem quaeque eam reſpiciunt, deinde autem Dictionem perſequemur.

CAPUT. I.

De Fictione poetica.

IN quonam poetica Fictio ſeu Fabula conſiſtat, ſatis liquidò ex ipſa ejus definitione elucet, qua videlicet eſſe dicitur: *Sermo falſus veritatem imitans*. Hinc enim facile quivis intelliget, id omnium maxime proprium illius eſſe, ut e veritatis quodam veluti exemplari propoſito expreſſa omnia adumbret ac repraeſentet. Qua quidem in re tanta eſt ejuſdem vis ac facultas, ut nulla omninò ex parte ne acerrimis quidem illis naturae imitatricibus Picturae, Sculpturae, ac

Statuariae cedat ; uti & jam olim monuit Venuſinus poeta II. Epiſt. 1. cum cecinit:

Nec magis expreſſi vultus per ahenea ſigna ,
Quam per vatis opus mores animique virorum
Clarorum apparent .

Quo igitur Fictionis , de qua agitur , juſta ſervetur ratio , in eo ſumma poetis collocanda eſt cura , ut quidquid eloquentur , ita ad veritatis normam, atque ad eorum, quae plerumque fieri debent aut ſolent , imaginem conforment, ut totum eidem apprime conſentaneum habeatur . Hoc autem ut illi praeſtent, perſpectum neceſſe eſt habeant, quid quibuſque perſonis, rebus, factiſque conveniat ; tum vero in primis ut illa omnia maxime congruentia adjuncta dicendo perſequantur , e quibus ſcite compoſitis res quaelibet & apte cohaereat, & quaſi graphicis quibuſdam lineamentis efficta geri potius quam narrari videatur .

Atque haec quidem quantivis illa pretii dos eſt , unde plurimum poetico dicendi generi robur accedit , & qua vel una maxime optimi quique ſcriptores excellere conſueverunt. Quapropter ut eadem tironum animis altius inculcaretur, ex uſu non mediocri fore viſum, nonnulla ad id ſummopere facientia a Latinorum poetarum principe petita exempla huc comportare. Is igitur cum de Aenea ageret, ubi hic primum ab exorto ſtrepitu ac tumultu de improviſo patriae excidio certior fieri coepit , en quam vividis atque ad rerum naturam comparatis coloribus univerſa deſignavit , ita Aeneam ipſum loquentem inducens II. Aen. 298.

Diverſo interea miſcentur moenia luctu:
Et magis atque magis (quamquam ſecreta parentis
Anchiſae domus, arboribuſque obtecta receſſit)
Clareſcunt ſonitus , armorumque ingruit horror .
Excutior ſomno, & ſummi faſtigia tecti
Aſcenſu ſupero , atque arrectis auribus aſto .
In ſegetem veluti cum flamma furentibus Auſtris
Incidit ; aut rapidus montano flumine torrens
Sternit agros, ſternit ſata laeta boumque labores ,
Praecipiteſque trahit ſilvas : ſtupet inſcius alto
Accipiens ſonitum ſaxi de vertice paſtor .
Tum vero manifeſta fides , Danaumque pateſcunt
Inſidiae : jam Deiphobi dedit ampla ruinam ,
Vlcano ſuperante, domus : jam proximus ardet
Vcalegon: Sigea igni freta lata relucent .
Exoritur clamorque virum , clangorque tubarum .
Arma amens capio , nec ſat rationis in armis :

Sed

Sed glomerare manum bello & concurrrere in arcem
Cum ſociis ardent animi: furor iraque mentem
Praecipitant, pulcrumque mori ſuccurrit in armis.

Qua quidem narratione quid, quaeſo, ex idonea adjunctorum colligatione cohaerentius, quid ad veritatis ſpeciem accommodatius; quidve propterea ad faciendam fidem congruentius fingi aut excogitari unquam poterit?

Non minore porro imitationis vi ac dignitate ad gubernatoris ſollertiam exhibendam deſcribuntur illa III. Aen. 508.

Sol ruit interea, & montes umbrantur opaci.
Sternimur optatae gremio telluris ad undam
Sortiti remos, paſſimque in litore ſicco
Corpora curamus; feſſos ſopor irrigat artus.
Necdum orbem medium nox horis acta ſubibat:
Haud ſegnis ſtrato ſurgit Palinurus, & omnes
Explorat ventos, atque auribus aëra captat:
Sidera cuncta notat tacito labentia caelo,
Arcturum, pluviaſque Hyadas, geminoſque Triones
Armatumque auro circumſpicit Oriona.
Poſtquam cuncta videt caelo conſtare ſereno,
Dat clarum e puppi ſignum: nos caſtra movemus,
Tentamuſque viam, & velorum pandimus alas:

Quae omnia, ut per ſe quiſque viderit, tam bene apta inter ſe ſunt, ut cum plane non aliter fieri debuiſſe videantur, ita reapſe facta eſſe prope jurares.

Egregium autem hoc imitandi genus, quo res quantumvis fictae nihil a vero alienae creduntur, ubivis ſane locorum apud eumdem poetam mirifice effulget, in iis etiam, quae a conſuetis hominum moribus aliquando longius abeunt; ut in eventu illo, qui navium certamini intexitur V. Aen. 159.

Jamque propinquabant ſcopulo, metamque tenebant;
Cum princeps medioque Gyas in gurgite victor
Rectorem navis compellat voce Menoeten:
Quo tantum mihi dexter abis? huc dirige curſum,
Litus ama, & laevas ſtringant ſine palmula cautes:
Altum alii teneant. Dixit: ſed caeca Menoetes
Saxa timens, proram pelagi detorquet ad undas:
Quo diverſus abis? iterum, pete ſaxa, Menoete,
Cum clamore Gyas revocabat: & ecce Cleanthum
Reſpicit inſtantem tergo, & propiora tenentem.
Ille inter navemque Gyae ſcopuloſque ſonantes
Radit iter laevum interior, ſubituſque priorem
Praeterit, & metis tenet aequora tuta relictis.
Tum vero exarſit juveni dolor oſſibus ingens,

Nec lacrimis caruere genae: ſegnemque Menoeten,
Oblitus decoriſque ſui ſociumque ſalutis,
In mare praecipitem puppi deturbat ab alta.
Ipſe gubernaclo rector ſubit, ipſe magiſter;
Hortaturque viros, clavumque ad litora torquet.
At gravis ut fundo vix tandem redditus imo eſt
Jam ſenior, madidaque fluens in veſte Menoetes,
Summa petit ſcopuli, ſiccaque in rupe reſedit.
Illum & labentem Teucri, & riſere natantem;
Et ſalſos rident revomentem pectore fluctus.

Sed jam ſatis ad rem noſtram exemplorum eſt, unde mature diſcant adoleſcentes, quid ſibi potiſſimum in fictione poetica curandum ſit; quod certe niſi recte habuerit, univerſa ipſius ratio peſſum ibit. Quaecumque vero non multo levioris momenti alia ad eamdem ſpectant, ea nos ſeqq. Capp. deinceps dabimus,

CAPUT II.

De Fictionis poëticae dotibus.

POSTQUAM fictionis, qua utuntur poetae, naturam declaravimus, ſequitur nunc ut quatuor ejuſdem dotes (1) Unitas (1), Admirabilitas (3), Veriſimilitudo, & (4) *τῶν ἐπεισοδίων* (*epiſodiorum*) Ornatus expendantur.

1. Unitas quidem poſtulat; ut fabula unam modo praecipuam actionem, circa quam verſetur, propoſitam habeat: ad quam reliqua omnia licet diverſi ac multiplicis generis, tamquam ad totum partes, referantur: id quod monuit Horatius in Arte, cum inquit:

Denique ſit quidvis ſimplex dumtaxat & unum.

In qua re illud in primis ſpectandum eſt, ut omnes fabuloſae narrationis partes ita inter ſe connexae ſint & conflatae, itaque una veluti ſerie aliae ab aliis proficiſcantur, nulla ut earum ſine totius detrimento tolli aut inverti poſſe videatur.

2. Admirabilitas reſidet in eo, ut poeta in unoquoque fere genere quae ſumma ſunt conſectetur. Neque enim his ille plerumque contentus eſt, ad quae utpote vulgaria quodammodo hominum animi diuturna conſuetudine occalluerunt: ſed ea potius quaerit, quae illos ſtupenda quadam novitate permoveant, & ad verum rectumque intelligendum atque am-

ple-

plectendum vehementius excitent. Ita e. g. quae inſueta prodigia a Marone exponendo Polydori caſui praeſtruuntur, ea quidem cum ob ſummam rei admirationem arrigendis mentibus maxime accommodata ſunt, tum vero ad eaſdem contra perfidiam aurique famem acuendas non minime conferunt. Id vero ex ipſo perlecto loco manifeſte patebit; quem propterea quamvis longiuſculum tironum heic tamen oculis ſubjiciendum credimus. Eſt autem is III. Aen. 19.

Sacra Dionaeae matri Diviſque ferebam
Auſpicibus coeptorum operum: ſuperoque nitentem
Caelicolum regi mactabam in litore taurum.
Forte fuit juxta tumulus, quo cornea ſummo
Virgulta, & denſis haſtilibus horrida myrtus.
Acceſſi, viridemque ab humo convellere ſilvam
Conatus, ramis tegerem ut frondentibus aras;
Horrendum & dictu video mirabile monſtrum.
Nam quae prima ſolo ruptis radicibus arbos
Vellitur, huic atro liquuntur ſanguine guttae,
Et terram tabo maculant. Mihi frigidus horror
Membra quatit, gelidusque coit formidine ſanguis.
Rurſus & alterius lentum convellere vimen
Inſequor, & cauſſas penitus tentare latentes:
Ater & alterius ſequitur de cortice ſanguis.
Multa movens animo Nymphas venerabar agreſtes
Gradivumque patrem, Geticis qui praeſidet arvis,
Rite ſecundarent viſus, omenque levarent.
Tertia ſed poſtquam majore haſtilia niſu
Aggredior, genibuſque adverſae obluctor arenae:
Eloquar, an ſileam? gemitus lacrymabilis imo
Auditur tumulo, & vox reddita fertur ad aures:
Quid miſerum, Aenea, laceras? jam parce ſepulto;
Parce pias ſcelerare manus: non me tibi Troja
Externum tulit: haud cruor hic de ſtipite manat.
Heu fuge crudeles terras, fuge litus avarum.
Nam Polydorus ego: heic confixum ferrea texit
Telorum ſeges, & jaculis increvit acutis.
Tum vero ancipiti mentem formidine preſſus
Obſtupui, ſteteruntque comae, & vox faucibus haeſit.
Hunc Polydorum auri quondam cum pondere magno
Infelix Priamus furtim mandarat alendum
Threicio regi; cum jam diffideret armis
Dardaniae, cingique urbem obſidione videret.
Ille, ut opes fractae Teucrum, & fortuna receſſit,
Res Agamemnonias, victriciaque arma ſecutus

Fas omne abrumpit, Polydorum obtruncat, & auro
Vi potitur. Quid non mortalia pectora cogis
Auri ſacra fames?

3. Veriſimilitudinis porro poeticae non ea omnino eſt ratio, ut illas tantummodo res imitari neceſſe poeta habeat, quae prout ab ipſo narrantur, ita prorſus aut ſemper, aut certe plerumque contingere conſueverint. Quamquam enim indubium eſt, ab his illam minime adhorrere; ſatis tamen ſibi eadem conſtabit, ubi ea carmine exponantur, quae non niſi raro eveniunt (qua potiſſimum ratione admirabilitas ipſi conciliatur); vel etiam ea, quae licet accidere nequeant, vulgata tamen hominum opinione contigiſſe, aut contingere poſſe creduntur. quandoquidem diffuſam rerum exiſtimationem libenter conſectatur poeſis. Ejuſmodi ſane innumera ſunt, quae apud optimos etiam exſtant auctores; quae cum fidem omnem excederent, quoniam tamen fieri poſſe vulgo credebantur, veriſimilitudinis terminos praetergredi viſa non ſunt.

4. Ἐπισόδια (*epiſodia*) quibus mirum quantum fabula illuſtratur, ſunt: *Actiones adventitiae cum primaria apte connexae.* Eorum igitur id proprium eſt, ut veluti foris petita ita reliquae fabulae attexantur, ut jam non aliunde adſcita, ſed indidem nata eſſe videantur. Hujus plane generis tota illa eſt ludorum celebratio V. Aen. quae cum a poeta omitti impune potuerit, tanta tamen veriſimilitudinis congruentia praecipuo poematis argumento illata eſt, ut non ferme aliter res geri debuiſſe credatur. Neque enim non facile ſe cuivis illud probat, neque non prope res ipſa poſtulare videbatur, ut cum Aeneas in Siciliam tempeſtate delatus ad ſepulcrum patris vertente jam poſt obitum anno aſtitiſſet, ſollemnibus ejus memoriam honoribus de conſueto more proſequeretur.

Plurimi autem uſus ſunt Epiſodia ad poeticam fictionem tum producendam, tum jucunda quadam varietate decorandam. Ceterum locus illis eſſe non debet, niſi ubi res connectuntur atque implicantur: cum enim jam ad exitum properatur, importunum ſane eſſet fabulae curſum alienis narrationibus remorari.

CA-

Caput III.

De ſabulae ordine.

Ex iis omnibus, unde optimus fictionis habitus exſiſtit, nihil prope majori curae poetis eſſe convenit, quam quae duo hoc & ſequenti Capite exponentur, Ordinem ſcilicet ac Solutionem: quorum ille ad fabulam recte inſtituendam, haec ad probe concludendam eſt comparata.

Quod ad Ordinem ſpectat, illud in primis, quod & ſupra indicavimus, praeſtari per eum neceſſe eſt, ut omnes fabuloſae narrationis partes appoſite inter ſe aptae & quaſi naturali colligatae vinculo exhibeantur. Hoc enim maxime ab hiſtorico diſtat poeticus ordo: quod ille, cum res plerumque disjunctiſſimas ſimul nectat, ſolutus plane ſit & diſtractus; hic contra continuus ac perpetuus, quippe cum una actionum ſecum idonee connexarum ſerie contineatur.

Sed non leviore porro ſtudio quaerendum eſt, unde potiſſimum duci initium deceat, ubi interponenda ſint epiſodia, ubi denique finis poemati faciendus. Quoniam autem nos de epiſodiorum loco jam diximus, ac de fabulae exitu mox ſermonem habebimus; reliquum heic tantum eſt, ut de exordio paucis agamus.

Non multa quidem laude dignus habetur poeta, qui carmen a primis rerum initiis auſpicetur; quandoquidem haec ut plurimum humilia ſunt & obſcura. Itaque a mediis aut poſtremis incipere opus erit, ab illuſtri nimirum aliquo facto, quod maxime conciliet attentionem, necnon, ſi fieri poſſit, in virum, cujus enarranda ſint geſta, benevolentiam. Deinde vero in progreſſu ipſo ad principium opportune regredi oportebit, atque auditorum animos jam prope a narrationis exordio finem praeſtolantes per varias rerum ambages circumducere: id quod eos praecipue reddet intentos. Huc ſane ſpectat, quod Horatius inquit in Arte:

Ordinis haec virtus eſt & venus, aut ego fallor,
Vt jam nunc dicat, jam nunc debentia dici,
Pleraque differat & praeſens in tempus omittat.

Id porro ipſum Homerico & Virgiliano exemplo confirmat Macrobius V. Saturnal. 2. ubi rationem hac de re ab utroque poeta initam declarat his verbis: *Ipſe* (Homerus) *vitans in poemate hiſtoricorum ſimilitudinem, quibus lex eſt incipere ab initio rerum, & continuam narrationem ad finem uſque perducere, ipſe poetica diſciplina a rerum medio coepit, & ad*

ad initium poſtea reverſus eſt. Ergo Vlyſſis errorem non incipit a Trojano litore deſcribere, ſed facit eum primo navigantem de inſula Calypſonis, & ex perſona ſua perducit ad Phaeacas. Illic in convivio Alcinoi regis narrat ipſe, quemadmodum de Troja ad Calypſonem uſque pervenerit. Poſt Phaeacas rurſus Vlyſſis navigationem uſque ad Ithacam ex perſona propria poeta deſcribit. Quem ſecutus Maro Aeneam de Sicilia producit, cujus navigationem deſcribendo perducit ad Libyam. Illic in convivio Didonis narrat ipſe Aeneas uſque ad Siciliam de Troja navigationem ſuam : & addidit uno verſu, quod jam copioſe poeta deſcripſerat :

Hinc me digreſſum veſtris Deus appulit oris.

Poſt Africam quoque rurſus poeta ex perſona ſua iter claſſis uſque ad ipſam deſcribit Italiam.

E quibus licet pluſculis huc collatis, ſi minus aliud, illud certe commodi tirones colligent, quod quam parem rerum ordinem duo illi poetarum principes ſecuti ſint, clarius inde dabitur intelligere.

CAPUT IV.

De fabulae ſolutione.

VT ad extremum uſque, uti par eſt, recto ſtet fabula talo, neve ubi praecipue eminere debet, ibi turpiter oblangueſcat, plurimum in ea ſolvenda ſtudium collocari oportet.

E reliquis autem ſolutionis generibus illud non minime commendatur, quo veluti explicatis atque abſolutis omnibus res per ſe ipſa ad exitum perveniſſe videatur. Hujuſmodi ſane eſt Virgilianae fabulae per Turni obitum determinatio; quo mortuo jam nihil ſupererat, quod ſtabiliendis in Italia Trojanis rebus (quo totius poematis ratio ſpectabat) impedimento foret; nihilque propterea, quo longius poetica fictio protraheretur.

Jam vero illud in hoc maxime curandum eſt, ut dum jam ad finem feſtinat fabula, ea viciſſitudinum varietate intexatur, quae lectoris magis magiſque excitet curioſitatem, & quo tandem res caſura ſit, incertum ſuſpenſumque animo detineat. Quo ſane artificio ipſa Aeneidos concluſio ſummopere excellit.

Praeter hanc autem modo memoratam tres aliae ſolven-

di nodi rationes, nec minimi ipſae pretii, vulgo afferuntur ; videlicet per Περιπέτειαν, (2) per Ἀναγνώρισιν, & (3) per Machinas.

1. Περιπέτεια (*converſio*) definitur ab Ariſtotele Poet. *9.* *Eorum, quae aguntur, mutatio in contrarium.* Ea itaque utuntur poetae, quoties gravem ſimul atque improviſam aliquam ſive proſperam ſive adverſam rerum converſionem exhibent : qualem plane Virgilius VII. ubi cum Trojana gens in Latio feliciſſime haberet, repente perturbatis rebus teterrimum in ipſam bellum exarſit. Per eamdem porro ſolvi fabulam poſſe veterum exempla demonſtrant ; ut e reliquis Euripidis Iphigenia in Tauris, cujus huc pertinens argumentum mox opportuniore loco declarabitur.

Ejuſmodi vero fortunarum immutationes tum in primis commendabiles erunt, ſi non temere fiant, ſed e praecedente quapiam vel neceſſaria vel veriſimili cauſa proficiſcantur.

2. Ἀναγνώρισις (*agnitio*) ex eodem Ariſtotele ibid. eſt: *Ex ignorantia in cognitionem mutatio* ; cum nimirum una pluresve perſonae poſt diuturnam temporis intercapedinem agnoſcuntur. Quae quidem inopinatae agnitionis genera cum per ſe ſemper maxime jucunda ſint ; inter ea tamen longe praeſtantius illud eſt, quod etiam unum poemati ſolvendo inſervit, cui adnexa eſt περιπέτεια. Hoc ſane pacto in modo laudata Euripidis Tragoedia cum Iphigenia Oreſtem fratrem jam jam immolandum improviſo cognoviſſet, ita eum ab imminente morte eripuit, ut non multo poſt ambo ſimul arrepta fuga a miſerrima ad ſatis commodam conditionem ſeſe traduxerint.

3. Per Machinas denique fabulae nodus reſolvi dicitur, cum res implicatiſſimae inuſitata aliqua ac portentoſa ratione explicantur. Huc ſpectat Deorum ad opem acciſis rebus ferendam, necnon ad futura enuntianda deſcenſus : quos Deos quidem vel per machinas in Tragoediis (unde toti rei nomen quaeſitum) vel per ipſius poetae narrationem in carmine Epico e caelo delapſos exhibere moris fuit. Eodem refertur etiam perſonae alicujus per machinam ſubductio ; ut Medeae apud Euripidem, quae ut Jaſonis iram effugiat, curru impoſita Athenas raptim aerio itinere tranſvehitur : quod tamen Ariſtoteli non probatur.

Duo heic igitur e ſapientiorum mente animadvertenda occurrunt ; primum ſcilicet non recte eſſe, rem ita innecti, ut ad eam tandem ſolvendam machinae ſint advehendae : deinde nunquam has uſurpandas, niſi ubi nullus omnino alius expediendae rei ſuppetat modus ; de quo ſic Horatius in arte :

Nec

Nec Deus interſit, niſi dignus vindice nodus
Inciderit.

Illud autem poſtremo maximi certe omnium momenti monitum volumus, Chriſtiano nimirum poetae ad Deorum machinas confugere fas omnino non eſſe. Sive enim falſa ejuſmodi Numina ita agentia inducantur, tamquam per ſe aliquid moliri poſſe putentur; quid quaeſo, hac re iniquius atque a veritatis ſectatore alienius fingi queat? Sive ita producantur, ut nihil tamen poteſtatis obtinere nihilque plane eſſe credantur; quid tum vero hac ratione ſtultius, quam inania nomina nihil prorſus ſignificantia pro perſonis difficillima quaeque gerentibus uſurpare? Sive denique hae ipſae appellationes ad Dei O. M. deſignanda attributa adhibeantur; ecquid tandem indignius, quam turpiſſimas daemonum nomenclaturas ſupremo rerum Domino attribuere?

E quibus omnibus nemo non videt, nihil quidquam in poetica fabula commentitiis hiſce ſuperſtitioſorum temporum monſtris eſſe committendum: imo nec temere ipſa eorum nomina intermiſcenda, niſi ubi allegorica notione accipi debeant; ut ſic e. g. Mars pro bello, Bacchus pro vino, Neptunus pro mari, &c. Cum igitur arduum aliquid atque humanas vires excedens, ſacro praeſertim in argumento, gerendum erit, tum ſane caeleſtium ſpirituum operam, quae quidem potentiſſima, adhibere juvabit: quemadmodum contra tartareorum hoſtium ad virtutis intercludendum iter molimina appoſite aliquando poterunt repraeſentari.

Caput V.

De moribus, & ſententia.

PRAETER antehac enucleata, Mores etiam & Sententiae ad apte conſtituendam fabulam ſummopere conducunt. Neque enim, niſi iiſdem recte adhibitis, fieri poteſt, ut actiones pro eo ac decet exprimantur; id quod praecipuum eſt poeticae fictionis officium. In quonam igitur ipſorum ratio poſita ſit, intente nos heic perſcrutabimur; & priore quidem loco de Moribus, poſteriore vero de Sententia differemus.

I. Morum autem nomine intelligitur cujuſque indoles, unde actiones vel bonae vel malae enaſcuntur; ut illi propterea ab Ariſtotele αἴτια πράξεων (*cauſſae actionum*) appellentur. Quoniam itaque a morum ratione naturam ſuam ſorti

titur actio, hinc eſt, ut quo hanc pro rei merito poeta deſignet, illos neceſſe ſit, quemadmodum in imagine pictor, vividis coloribus repraeſentet. Id autem quo pacto fieri debeat, mox aperte patebit, ubi de iis dicetur, quae in effingendis moribus ſervari oportet; quae quidem ſunt (1) Probitas, (2) Convenientia, (3) Similitudo, & (4) Aequalitas.

1. Prima igitur de moribus ea ſit cura; ut probi admodum exhibeantur, nihilque inde niſi quam maxime honeſtum & commendabile proficiſcatur. Hoc enim ſuo veluti jure poetica ratio poſtulat, quae optimam civitatis inſtitutionem, & ſingulorum vitam alienis formandam exemplis unice ſpectat. Hinc veteres ſanioris mentis poetae id ſedulo egerunt, ut nihil plane vitii in Heroe, cujus deſcribendis geſtis dabant operam, ſeſe proderet; & ſi quando alicui perſonae aliquid non recte factum affingerent, ita tamen de eo loquerentur, ut longe illinc quorumlibet averterent animos. Ita plane Virgilius ubi in II. Aen. de Sinonis fallaciis ſermonem intexit, tam deteſtando eas aſpectu proponit, ut nemini non facile ſummum in ejuſmodi fraudum genus ingerat odium.

2. Jam porro neceſſe eſt, ut cuique perſonae ii mores attribuantur, quos ipſius aetas, ordo, munus, aliaque ſimilia poſtularint; cum exploratum ſit ita hominum ingenia his rebus affici, ut mirum quantum plerumque pro ipſarum diverſitate inter ſe diſcrepantia videantur. Quamobrem ut in primis veriſimilitudo ſervetur, hanc morum convenientiam perſequi maxime proderit. Cujus profecto quanta ſit vis, praeſertim ad poema jucunda quadam actionum varietate ornandum, e ſubjectis Maronis exemplis perſpicue elucebit. Vbi enim II. Aen. regiae domus oppugnatio deſcribit, de Trojanis quidem viris, qui illius tuendae ſive ſtudio ſive officio tenebantur, ita canitur v. 445.

Dardanidae contra turres ac tecta domorum
Culmina convellunt: his ſe, quando ultima cernunt,
Extrema jam in morte parant defendere telis;
Auratasque trabes, veterum decora alta parentum,
Devolvunt: alii ſtrictis mucronibus imas
Obſedere fores, has ſervant agmine denſo.

Similia ſubinde Aeneas, quem amor patriae ad quaelibet audenda agebat, de ſe ipſe declarat.

Contra vero illic ubi imbellis mulierum turba concluſa latebat, nil niſi formidinis imagines a poeta proponuntur, Itaque ſubjicitur v. 486.

At domus interior gemitu miſeroque tumultu

Mi-

Miſcetur: penituſque cavae plangoribus aedes
Femineis ululant; ferit aurea ſidera clamor.
Tum pavidae tectis matres ingentibus errant:
Amplexaeque tenent poſtes, atque oſcula figunt.

Inter haec autem Priamus, cui licet extrema jam ſenectute aliquid tamen bellicae virtutis ſupereſſet, ſic agens inducitur v. 507.

Vrbis ubi captae caſum, convulſaque vidit
Limina tectorum, & medium in penetralibus hoſtem,
Arma diu ſenior deſueta trementibus aevo
Circumdat nequicquam humeris, & inutile ferrum
Cingitur, ac denſos fertur moriturus in hoſtes.

Quibus in locis quivis noverit, quam bene ſingulis perſonarum generibus ſui mores affingantur; moribus autem ipſis quam apposite facta reſpondeant.

3. Ad hæc ſimilitudo poſtulat, ut perſonæ tribuamns ea, quae eidem vulgata fama impertit, ut verſutiam Vlyſſi, iram Achilli. Quare praecipit Horatius in Arte:

Aut famam ſequere, aut ſibi convenientia finge.

4. Aequabilitatis denique eſt, ut perſona

. . . . Servetur ad imum,
Qualis ab incepto proceſſerit, & ſibi conſtet.

ut ibid. docetur. Accurari igitur debet, ut apte connexi mores nunquam ſecum ipſi confligere videantur: niſi tamen aliqua fortunae converſio eosdem, ut ſaepe fit, immutaſſe fingatur.

II. Quod ad ſententiam attinet, duplici illa quidem heic notione accipitur; vel enim eſt, qua animi ſenſa enuntiantur; vel qua quidpiam ad vitae diſciplinam pertinens ſimpliciter ſimul & graviter profertur.

1. Priore ſenſu ſumta ſententia ita adhiberi debet, ut tum rerum natura dicendo adaequet; tum vero eiſdem vel amplificandis vel minuendis, atque animorum motibus ciendis ſit quam maxime accommodata. Id autem pro merito praeſtabitur, ſi quaecumque rebus ipſis conveniunt & perſpecta habeantur, & idoneo orationis genere declarentur. Ita e. g. Horatius, ut virtutis præſtantiam extolleret, hoc ex ipſius vi & ratione petito ſermone uſus eſt III. Od. 2.

Virtus repulſae neſcia ſordidae
Intaminatis fulget honoribus,
Nec ſumit, aut ponit ſecures
Arbitrio popularis aurae.
Virtus recludens immeritis mori
Caelum, negata tentat iter via;

Coetuſ-

quae deſunt hic, vide in pag. 224.

Digitized by Google

CAPUT VI.

De dictione poëtica

SAtis jam ſuperque ad id loci univerſam poeticarum Rerum rationem perſecuti ſumus: tempus tandem eſt animum ſermonęmque ad Verba convertere; quod alterum initio hujus Libri propoſueramus. Quamquam autem poetica Dictio non una plane eademque ubique ſit, ſed pro rerum ac poematum, diverſitate vel grandis, vel tenuis, vel mediocris; non heic tamen de ejuſmodi diſcrimine, quod ſuis locis commodius palam fiet, agetur; ſed tantummodo quidquid ad ipſam generatim pertinet, indicabitur. Hoc vero totum ad tria capita, (1) Verba, (2) Structuram, (3) & Numerum revocatur.

1. Verba quidem poetico congruentia ſtylo ea ſunt, quibus ipſe a vulgari dicendi conſuetudine procul abſcedens ad ſingularem quamdam ſublimitatem aſſurgat. Vt enim monet Horatius I. Serm. 4.

Non ſatis eſt puris verſum perſcribere verbis,
Quem ſi diſſolvas, quivis ſtomacbetur eodem.

Id autem ab ea potiſſimum eſt cauſſa, quod amplitudo rerum, quæ carmine tractari ſolent, neutiquam ſtare poſſet, niſi opportuna magniloquentia fulciretur. Atque hinc profecto fit, ut præſtantiſſimi quique poetae, ubi de gravi aliquo argumento agunt, modificatis plerumque vocibus delectentur; ut nobiles undelibet periphraſes ſive a cauſſis, ſive ab effectis, ſive a ſimilibus aucupentur; ut nihil denique omittant, quo ſuis verſibus ejuſmodi ſermonis vim & granditatem comparent, per quam, etiamſi illi diſſolvantur,

Invenias etiam disjecti membra poetae.

ut Idem ait ibid. Quale omnino eſt illud Ennii, quod in rei exemplum ſtatim ſubtexitur:

. . . . . . Poſtquam diſcordia tetra
Belli ferratos poſtes portaſque refregit.

Nonnulla nos interea ad id, quo de agitur, non minime ſpectantia Maronis loca de conſueto more proponemus, quorum ope tradita praeceptio in adoleſcentulorum animos altius inducatur. Primum itaque de Aetnae incendiis hoc ille pacto loquitur III. Aen. 570.

Portus ab acceſſu ventorum immotus, & ingens
Ipſe; ſed horrificis juxta tonat Aetna ruinis,
Interdumque atram prorumpit ad aethera nubem

Turbine fumantem piceo & candente favilla;
Attollitque globos flammarum, & ſidera lambit.
Interdum ſcopulos avulſaque viſcera montis
Erigit eructans, liquefactaque ſaxa ſub auras
Cum gemitu glomerat, fundoque exaeſtuat imo.

Inde vero de Polyphemo Trojanam claſſem fruſtra inſectante, v. 670.

Verum ubi nulla datur dextram affectare poteſtas,
Nec potis Jonios fluctus aequare ſequendo,
Clamorem immenſum tollit, quo pontus & omnis
Intremuere undae, penituſque exterrita tellus
Italiae, curviſque immugiit Aetna cavernis.

Non minus porro granditer navium incendium, quod nulla vis reſtingueret, declarat idem v. 680.

Sed non idcirco flammae atque incendia vires
Indomitas poſuere: udo ſub robore vivit
Stupa, vomens tardum fumum: lentuſque carinas
Eſt vapor, & toto deſcendit corpore peſtis:
Nec vires heroum, infuſaque flumina proſunt.

In quibus ſane omnibus qui cum rerum magnitudine certantem dictionis amplitudinem non demiretur? Hanc autem poetici ſtyli rationem (quae ceteroqui pro argumentorum & poematum diverſitate varie temperanda erit) e tropicis potiſſimum locutionibus & modificatis vocibus exſiſtere ſatis allata exempla demonſtrant: quas propterea, ut recte ſibi illa conſtet, percrebro a poetis adhiberi neceſſe eſt. Quare univerſus ille troporum, & ſchematum dictionis apparatus, quem in Inſtit. Orat. III. 3. & 6. expoſuimus, ad hunc praecipue locum referri debet.

2. De Structura porro id in primis animadvertendum eſt, ne aut exiliorum vocularum continuitate carmen attenuetur; aut longarum dictionum frequentia plus aequo ingrandeſcat. Praeterea cavendum, ne commata & cola nimis brevia atque a ſe invicem diſtracta ſint; aut etiam ita longa atque implicata, ut obſcuritatem pariant.

Illud etiam in hoc genere non minime ſpectare decet, ut e verborum compoſitione is oriatur ſonus, qui auribus jucundus admodum accidat; cum propria poetici ſtyli ſit ad oblectationem parata modulatio. Sed & de ſono ipſo notare juverit, probe factum haberi, ſi idem aliquando, quo imitatio magis emineat, ad rerum naturam exprimendam accomodetur. Qua quidem in re plurimum excellit Maro; ut e ſubjectis exemplis facile perſpicitur. Ita enim ille V. Aen. 481.

Sternitur, exanimiſque tremens procumbit humi bos. Et VI. 557. *Hinc*

Hinc exaudiri gemitus, & ſaeva ſonare
Verbera: tum ſtridor ferri, tractaeque catenae.

Ad haec VIII. 595.

. . . . *It clamor, & agmine facto*
Quadrupedante putrem ſonitu quatit ungula campum.

Item IX. 477.

Evolat infelix & femineo ululatu, &c.

3. Jam ſimilia fere ſunt, quae de Numero dicenda ſe offerunt; ut is ſcilicet rerum ingenio, quantum fieri poſſit, aptetur: quem plerumque fluentem celeremque hilaria atque expedita requirunt; tardum vero magnifica, moeſta, ac difficilia. Horum autem alter e dactylorum potiſſimum frequentia, alter e crebris ſpondaeis verbiſque productioribus enaſcitur. Hinc Idem cum de acerrimo navium certamine loqueretur, expeditiſſimis uſus eſt numeris V. Aen. 139.

Inde ubi clara dedit ſonitum tuba, finibus omnes,
Haud mora, proſiluere ſuis: ferit aethera clamor
Nauticus, adductis ſpumant freta verſa lacertis.

Quam ipſam inivit viam, cum de re ſane quam laeta ageret VI. 5.

. . . . *Juvenum manus emicat ardens*
Litus in Heſperium.

Longe vero aliam ad grandia & magnifica adhibere ſolet ille rationem; qualem certe I. Aen. 56.

. . . . *Heic vaſto rex Aeolus antro*
Luctantes ventos tempeſtateſque ſonoras
Imperio premit, ac vinclis & carcere frenat.

Nec ſane ſecus triſtia plerumque perſequitur; ut V. 613.

At procul in ſola ſecretae Troades acta
Amiſſum Anchiſen flebant, cunctaeque profundum
Pontum aſpectabant flentes.

Quo ipſo ferme pacto difficilia ab eo tractata licebit cernere; ut III. 549.

Cornua velatarum obvertimus antennarum.

Et VIII. 452.

Illi inter ſeſe multa vi brachia tollunt
In numerum, verſantque tenaci forcipe maſſam.

Haec autem pauca e multis exempla manifeſte declarant, quantum ſummi poetae in eo ſtudium collocandum ſibi eſſe duxerint, ut rerum, de quibus agerent, expreſſam quibuſcumque poſſent modis imaginem repraeſentarent.

Atque hac hactenus in univerſum de rebus verbiſque poeticis: quae quanam tandem ratione ſingulis poematum generibus aptanda ſint, jam in reliquis duobus Libris oſtendetur.

L I B E R II.

DE POESI DRAMATICA.

QVONIAM hominum actiones triplici paſſim modo imitari poetae conſueverunt, hinc factum eſt, ut tria diverſa poematum genera in lucem prodierint : quae pro peculiari cujuſque natura Δραματικόν (*activum*) Ἐξηγητικόν (*narrativum*) & Μικτόν (*mixtum*) Graecis placuit appellare. Vnum enim eſt, in quo, nunquam poeta ſuum ſermonem intermiſcente, aliae inter ſe perſonae colloquuntur & agunt: alterum vero, in quo omnia per ſe poeta enarrat: tertium denique, in quo partim ipſe eloquitur, partim alios ſermocinantes inducit.

Dè univerſis hiſce nos ſigillatim acturi, poſtremis duobus tertio harum Inſtitutionum Libro attributis, primum tantummodo in hoc praeſenti excutiemus. Itaque tum quae generatim ad Drama, tum quae ſpeciatim ad ejus formas Tragoediam & Comoediam pertinent, hinc ſuo deinceps ordine explicabimus:

C A P V T . I.

De communi dramaticae poeſeos ratione.

JVre quidem ac merito hoc poeſis genus, quod agendo imitatur, *Dramatis* appellationem a δρᾶν (*agere*) ſibi deſumſit: nec minus porro recte ob imitationis praeſtantiam μιμητικόν (*imitativum*) quaſi ſuo proprio nomine nuncupatum fuit. Originem autem ipſorum a pervetuſto ruſticorum

more duxiſſe creditur; qui poſt meſſis vindemiaeque tempus inconditis carminibus vel Deorum laudes concinere, vel ſeſe mutuo inceſſere conſueſſent: unde ſit factum, ut tractu temporis re in aliam paullatim converſa formam, ex altero quidem agreſtium illorum verſuum genere Tragoedia, ex altero vero Comoedia naſceretur.

Quod totum ſi pro certo habeatur, jam non diverſum utrique huic dramati ortum fuiſſe fateri oportebit. Sed alia praeterea nonnulla ſunt ad dramaticae poeſis Magnitudinem Parteſque ſpectantia, quae ambobus illis dramatis aeque conveniunt: de quibus ut de communi re primo heic loco, antequam ad peculiaria cujuſque veniamus, dicendum eſſe ſtatuimus.

I. Dramaticorum poematum ea fere debet eſſe Magnitudo, ut uno veluti animi captu comprehendi poſſit. Ita enim fiet, ut univerſa rerum ſeries in memoria firmius haereat; & affectibus, quos concitare deceat, ciendis alendiſque opportunior evadat. Eapropter primaria actio, unde dramati argumentum praebetur, unius diei ambitum nequaquam, aut certe vix excedat oportet; ne ſi diuturnior ſit, auditorum mentes nimia eventuum multitudine obruat. Huc vero illud etiam accedit, quod a veriſimilitudine res procul abiret, ſi ea coram populo ſpectatore geri fingerentur, quae tantum ſpatii poſtularent, quantum credibile non eſſet poſſe illum detineri. Itaque ſi qua longius tempus flagitantia in medium afferri placear, ea debebunt potius in epiſodia conjici, quae cum reliqua fictione probe nectantur.

Quod autem praeterea ad ipſam dramaticae fabulae magnitudinem ſpectat, iis illa terminis circumſcribenda eſt, ut nec minus tribus, nec plus ſex horis ad agendam ſit opus. Etenim & nimia brevitas exſpectationem fruſtaretur, & immoderata prolixitas faſtidium generaret.

II. Partes porro, queis Drama conſtatur, in duas claſſes diſtribuuntur; quippe cum alterae (1) ad qualitatem, (2) ad quantitatem alterae referantur.

1. Prioris generis partes ſunt Fabula, Mores, Sententia, & Dictio, quarum ſolummodo cura habenda ſcriptori eſt: nam quae aliae duae afferri ſolent, Melodia nimirum & Apparatus, eae quidem non ad poetam, ſed vel ad Choragum vel ad ſcenae Curatores pertinent.

De fabula autem & Moribus nihil heic praeter ea monendum eſt, quae ſupra Lib. I. 1. & 5. praecepta ſunt; ſcilicet ut & illa unam abſolutamque, ad quam cetera omnia revocentur, contineat actionem; & hi ſingulis quibuſque perſo-

nis convenienter aptentur, eamque ſemper vim habeant, & rationem, unde probior ſapientiorque ſpectator evadat.

Sententia vero, utpote quae a moribus proficiſcitur, ita ad eorum naturam conformari debet, ut quales hi cuique affingentur, talia animi ſenſa prolatus ab eodem ſermo praeſeferat.

In Dictione etiam, ubi opus fuerit, idoneum ſervari diſcrimen ars jubet: neque enim par ſatis foret doctum rudemque hominem, aut civem & hoſpitem uno eodemque pacto loquentem induci.

Jam quod ad metricam attinet rationem, quae ad dictionem ipſam refertur, eam quidem jambicam dramati tribuerunt. De qua Horatius in Arte:

Archilochum proprio rabies armavit jambo.
Hunc ſocci cepere pedem, grandeſque cothurni,
Alternis aptum ſermonibus, & populares
Vincentem ſtrepitus, & natum rebus agendis.

2. Dramaticae porro partes, quae quantitatem reſpiciunt (omiſſo in praeſens Prologo unius Comoediae proprio) Diverbium & Chorus dictae fuerunt.

Diverbium a *diverſorum*, ut vulgo dicitur, *verbis* ſic appellatum, cum non aliud ſit, quam ipſa perſonarum in fabulam inductarum collocutio & actio; hinc in Actus & Scenas diſtribuitur. Actuum autem (qui praecipuae quaedam ſunt totius dramaticae actionis partes) conſuetum numerum idem Venuſinus poeta ibid. declarat his verbis:

Neve minor, quinto neu ſit productior actu
Fabula, quae poſci vult & ſpectata reponi.

Qui ſane ita inſtrui ſigillatim ſolent, ut primus rem proponat: alter nodos nectat: tertius turbas excitet: quartus viam ad diſſolutionem ſternat: quintus denique explicet & aperiat omnia. Quod totum non minus aperte deſignant tria illa ad earumdem partium officium inducendum inventa nomina, Protaſis, Epitaſis, & Cataſtrophe: quibus primum *propoſitio* eſt; alterum *exaggeratio*, univerſamque rei perturbationem denotat; tertium autem *exitus* ac *diſſolutio*.

Scenae porro, in quas quiſque actus dividitur, perſonarum vel adventu vel abitu diſtinguuntur. De ipſis ea fuit veterum conſuetudo, ut actum ultra ſeptimam ſcenam nunquam producerent: at illo ſubinde more rejecto, ſcenarum numerus rerum rationi paſſim accommodari coepit. Neque etiam apud Latinos ſervata omnino illa lex eſt, qua religioſe olim vetabatur, ne e perſonis (quas ultra quatuordecim toti dramati aſſignare nefas) plures tribus loquentes una eademque ſcena educerentur. Jam

Jam Chorum, qui plerumque actum conſequitur, nonnunquam etiam præcedit, pars eſt dramatis, qua quidpiam ipſius argumento congruens concinitur. Enucleate quidem illius munia ſic ab Horatio enuntiantur in Arte:

Actoris partes chorus, officiumque virile
Defendat: neu quid medios intercinat actus,
Quod non propoſito conducat & haereat apte.
Ille bonis faveatque, & conſilietur amicis,
Et regat iratos, & amet peccare timentes.
Ille dapes laudet menſae brevis: ille ſalubrem
Juſtitiam, legeſque & apertis otia portis.
Ille tegat commiſſa, Deoſque precetur & oret,
Vt redeat miſeris, abeat fortuna ſuperbis.

CAPVT II.

De Tragoediae origine, etymo, & natura.

PERLVSTRATIS, quoad ejus fieri neceſſe erat, quae ad dramaticae poeſis rationem generatim attinebant; ut jam tandem ad ejuſdem formas deſcendamus, de Tragoedia primo loco dicere inſtituemus. Heic igitur ejus originem, etymon, & ingenium declarabimus, reliqua conſequenti Capite daturi.

I. Vtri potius dramati, Tragoediae ne an Comoediae, originis primatus ſit tribuendus, nihil plane certi affirmari poteſt. Verum cum ita plerumque iu humanis rebus eveniat, ut ab humilioribus ad ſublimiora gradus fiat, non improbanda illa quidem Scaligeri in Poet. I. 5. videtur opinio, quae Comoediam Tragoedia antiquiorem ſtatuit. Quidquid autem de hoc ſit, illud profecto pro explorato habetur, cum utrumque hoc poematis genus nihil a primo ortu meditatum, ſed ex tempore fuſa rudiaque omnia prae ſe tulerit, tamen Tragoediam prius excultam & ad rectam poeticae rationis normam fuiſſe conformatam.

Primus autem omnium, qui nitoris aliquid huic dramati impertiri coeperit, fuiſſe creditur Theſpis; qui certe, cum illud antea ſolo contineretur choro, unum adjecit hiſtrionem; ac præterea penſiles ſcenas plauſtris impoſitas, & faecis uſum ad actorum vultus oblinendos invexit. Huc ſane ſpectat illud Horatii in Arte;

Ignotum tragicae genus inveniſſe Camoenae
Dicitur, & plauſtris vexiſſe poemata Theſpis,

Quae canerent agerentque perunƈti faecibus ora.

Eamdem porro poeſim magis excoluit Aeſchylus; a quo & alter additus hiſtrio, & pulpita ad agendum excogitata, & perſonarum veſtiumque inducta ſunt ornamenta. De quo propterea ibidem continuo ſubditur:

Poſt hunc perſonae pallaeque repertor honeſtae
Aeſchylus & modicis inſtravit pulpita tignis,
Et docuit magnumque loqui, nitique cothurno.

Aeſchylum inde ipſum ſubſecutus eſt Sophocles, qui exornata ſcena tertium induxit hiſtrionem; ita ut jam tum eſſent qui primas, ſecundas, ac tertias agerent partes. Ab eodem tragicum drama numeris omnibus fuiſſe abſolutum aliqui praedicant: at ab aliis tamen, in primiſque a Quintiliano X. 1. in maximam ejus laudis partem non immerito vocatur Euripides.

Per hos igitur gradus a minimis exorta initiis Tragoedia venit ad ſummum.

II. Eam autem, quod ad nominis etymon attinet, ita dictam nonnulli arbitrantur ἀπὸ τῆς τρυγὸς (*a faece*) qua ſcilicet, ut modo dictum, actores ante inventas larvas ora perlinerent. Id tamen a Scaligero Poet. I. 6. omnino reſpuitur, quippe cum jam ante Theſpin ejuſmodi perunctionis auctorem eodem Tragoedia nomine vocaretur.

Ab alia vero ejuſdem Graecae vocis notione, qua *muſtum* deſignatur ejus nomenclaturae originem arceſſunt alii; ea nimirum de cauſſa, quod uter muſto plerus tragicis cantoribus dono dari ſoleret.

Non pauci denique a τράγος (*hircus*) & ᾠδή (*cantus*) illam eſſe contendunt, vel quia Baccho, cui olim ea fabula ſacra fuit, hircum immolare ſollemne erat; vel quia hic quadrupes in tragicorum carminum certaminibus praemium victori cedere conſueverat.

III. Jam Tragoediae non naturam modo, ſed univerſas etiam proprietates facile cuique erit ex ipſa ejus definitione ſeu potius deſcriptione intelligere; qua eſſe dicitur: *Poema dramaticum illuſtrem fortunam, ſed infelicem, gravi & ſevera oratione imitans ad affectus miſericordiae & timoris ciendos, atque ad ceteros omnes purgandos.* Hinc enim tum quali haec poeſis diſcrimine a reliquis diſtet, tum quonam potiſſimum ſit ingenio, manifeſte aperitur.

Cum itaque *illuſtrem fortunam, ſed infelicem* imitari illa perhibetur, a Comoedia ſimul diſtinguitur, quae non niſi res leves & humiles, ſimulque ab Epopoeia, quae illuſtria quidem & grandia at feliciter geſta perſequitur. Unius enim tragici

dra-

dramatis eſt, id rerum genus pro argumento ſibi deſumere, quod a proſpera conditione in miſeram triſtemque devenerit, vel multis certe magniſque in aerumnis ac periculis verſatum ſit.

Quoniam vero gravia omnia Tragoedia conſectatur, ab ea eſt cauſſa, quamobrem *gravi ac ſevera oratione* delectetur; quippe cum ſemper dictio, ut alibi monitum, rerum rationi aptetur oporteat. Verum de hoc item ſeq. Cap. expreſſius.

Quod autem poſtremo de fine, quem ſibi propoſitum Tragica poeſis habet, in definitione ſubjicitur; id vero quam alte per ſe illa ſpectet, ſat s oſtendit. Quamquam enim primum omnium miſericordiam ac timorem ſtudeat excitare, maxime tamen univerſos animi affectus perpurgare contendit. Quod ſane totum perbene ſibi conſtat: cum enim alienae calamitatis exhibita per illam imago ad ciendam commiſerationem opportuniſſima ſit, tum vero incutiendo timori maxime eſt accommodata, quo videlicet ſibi quiſque, quae mala aliis accidiſſe cognoverit, metuat obventura; unde & illud conſequatur, ut pravis cupiditatibus, praecipue atque adeo unicae aerumnarum origini, moderari facile quivis animum inducat ſuum.

Nec vero mirum, ſi cum infortunia, luctus, caedes per Tragoediam repraeſententur, delectare ipſa ex communi poetices ratione dicatur. Quam enim illa affert oblectationem, non haec quidem e miſeriarum ſignificatione, ſed ex artificioſa rerum imitatione proficiſcitur. Accedit quod aliorum calamitates, utpote nobis minime exitiales, ita noſtrum afficiant animum, ut dum is de aliorum triſtatur damnis, de ſua ſibi indemnitate gratuletur: id quod & luculenter cecinit Lucretius initio Lib. II.

Suave, mari magno turbantibus aequora ventis,
E terra ſtantem alterius ſpectare laborem.
Non quia vexari quemquam eſt jucunda voluptas,
Sed quibus ipſe malis careas, quia cernere ſuave eſt.

C A P U T III.

De variis Tragoediae partibus

1. QVAS diverſas dramatis partes ſupra perluſtravimus, eaedem in praeſentia nobis univerſae ſe offerunt; quae nimirum diſpari ordine ad Tragoediae vel qualitatem vel quantitatem referuntur. De his igitur heic acturi,

ri, praetermiſſis quaecumque ante communiter dicta huc etiam ſpectant, ea tantummodo, quae praecipue Tragicum poema reſpiciunt, declarabimus: ac primum omnium quae primi ſunt generis partes, (1) Fabulam, (2) Mores, (3) Sententiam, & (4) Dictionem perſcrutabimur.

1. Fabula quidem tragica id potiſſimum ſuo jure poſtulat, ut ipſius argumentum non e vano aliquo commento, ſed e verâ hiſtoria deſumatur: cum enim inſignium perſonarum actiones, quae minime ignorari ſolent, ſeſe illa exhiberi profiteatur, oportet omnino, quo fides rebus accedat, has ipſas jam ante non obſcura nec dubia fama cognitas eſſe. Haec vero ſane quam magnae gravitatis praeceptio ita intelligenda eſt, ut quamquam primaria actio, quaeque in ea maxime conſpicua ſunt, fictitia eſſe non debeant; plura tamen, quae minoris momenti ſint, poſſit de ſuo ſcriptor adjicere, quibus fabulam poetico more ornet & inſtruat. Idque plane ipſum in perſonarum nominibus locum habet: quandoquidem cum haec, ubi illae principes ſint, vera adhiberi oporteat; falſa tamen iis perſonis, quae extra rei ſummam poſitae veluti adventitiae ſunt, affingi quire exploratiſſimum habetur.

Illud autem praeterea fieri neceſſe eſt, ut fabula tragica *περιπέτειαν* (*converſionem*) aut *ἀναγνώρισιν* (*agnitionem*) de quibus actum Lib. I. 4. aut etiam utramque attextam habeat: atque eam quidem ejuſmodi, unde ſummopere affectus valeant concitari.

Quod vero ad concludendae fabulae rationem, ejus ſane exitus, perinde ac reliquae non paucae partes, triſtis conſuevit eſſe ac luctuoſus. Inficiandum tamen non eſt, nonnumquam ſcriptores ad exhilarandos ſub finem animos illam laetiore aliquo eventu determinare maluiſſe.

De fabulae quoque ſolutione illud Tragoediae peculiare juvat animadvertere, ubi ſcilicet ad graviſſimum rei exitum deventum ſit, aut ibi facto fine ſubſiſtendum eſſe; aut ſi ulterius progredi mens ſuaſerit, id ſedulo cavendum ne affectuum ardor deferveſcat, ac tota dramatis vis paullatim concidat.

Poſtremo ut veriſimilitudo, quam prae reliquis ſummam dramaticum poema poſtulat, omnino ſervetur, prae oculis maxime habendum erit monitum, quod Horatiana Arte hoc pacto profertur:

. . . . Non tamen intus
Digna geri promens in ſcenam: multaque tolles
Ex oculis, quae mox narret facundia praeſens:
Nec pueros coram populo Medea trucidet.

Ne-

Neque enim fieri poterit, ut hujus rerum generis repraeſentatio habeat fidem. Quare ibidem mox ſubjicitur:

Quodcumque oſtendis mihi ſic, incredulus odi.

2. Mores porro in Tragoedia (praeter alias dotes Lib. I. 5. recenſitas) plurimum gravitatis prae ſe ferant neceſſe eſt; id enim perſonarum, quae per eam agentes inducuntur, requirit auctoritas. In hoc tamen ipſo diverſae earum conditionis habenda eſt ratio; cum minime deceat eamdem e. g. ſervo ac regi ſeveritatem indolis accomodare.

3. Sententia item, quatenus animi ſenſa declarat, rerum gravitati reſpondere debet: quatenus vero aliquid ad morum doctrinam utile paucis complectitur, certe quidem tragico dramati maxime convenit, cum nihil pene ea ſit ad granditatem magis idoneum. Verum de ejuſmodi effatis id in primis dignum notari eſt, neque ea nimis crebro uſurpari oportere, neque vero multum oſtentare acuminis: quandoquidem & illud moleſtiam parit, & hoc extinguendis potius quam inflammandis affectibus eſt opportunum.

4. Dictio autem, qua utitur Tragoedia, ex illis omnibus magnificentiae fontibus, qui in Inſtit. Orat. IV. 6. non minus poetis quam oratoribus patent, ſingularem ſuam haurit ſublimitatem. Ceterum etſi illa a vulgo ſemota nihil ferme de trivio ſumit, intra eos tamen ſeſe continet terminos, ut juſtae cujuſdam dignitatis amans gravitate magis quam nimio ſplendore delectetur. Nec raro etiam quaſi poſita majeſtate ad humiliora deſcendit, quo nimirum abjectae cujuſpiam aut aerumnoſae perſonae conditioni ſe parem reddat. Quod in Arte Venuſinus poeta declarat his verſibus:

Et tragicus plerumque dolet ſermone pedeſtri.
Telephus & Peleus, cum pauper & exſul uterque,
Projicit ampullas & ſeſquipedalia verba.

Ad quae ipſa appoſite non multo poſt canit,

Si dicentis erunt fortunis abſona dicta,
Romani tollent equites peditesque cachinnum.

De tragici carminis metro ad ea, quae ſupra ſignificata ſunt, id unum heic addendum videtur, illud cum olim tetrametris conſcribi ſoleret, in trimetris poſtea utpote ſeveritati aptioribus conſtitiſſe.

II. Poſt exploratas Tragoediae partes, quae ad ejuſdem pertinent qualitatem, reliquum modo eſt, ut de partibus quantitatis (1) Diverbio & (2) Choro unum & alterum, quae non illi communia cum Comoedia ſunt, attexantur.

1. Primum igitur mitti non debet, Prologum, qualis comico dramati praeire conſuevit, a tragico penitus exſulare;

pro-

propterea quod cum hujus minime obſcurum ſit argumentum, nihil de eo attinet auditores pluribus praemonere.

2. Quod ad Chorum ſpectat, is quidem e non ſublimis fortunae perſonis conflatus ea vel canendo vel colloquendo exponit, quae & argumento fabulae conveniant, & ad commiſerationem potiſſimum excitandam conducant.

CAPUT IV.

De Comediae ortu, veriloquio, atque ingenio.

VT quam rationem de Tragoedia agentes inſtitimus, eamdem plane de Comoedia dicturi perſequamur, hoc primum loco de ejus primordiis, etymo, & natura ſermonem habebimus.

I. Comoediae ortum vindemiarum tempori vulgo adſcribi jam ante ſignificatum eſt: cum videlicet laboribus perfuncti juvenes a prandio pagos cum cantibus obeuntes ſeſe mutuis dicteriis inceſſebant; quin etiam in urbes ſaepe illati civibus & magiſtratibus conviciabantur. Quod cum a luſu in remedium civitatum ſenſim converti intellectum eſſet, quippe quod multi vitae licentiam ſibi exprobrari metuentes eidem modum imponere curabant; hinc anſa arrepta eſt, ut hoc Dramatis genus ad inſectanda vitia purgandoſque mores compararetur.

Ipſum autem, quale primus omnium Epicharmus edidiſſe fertur, rude quidem & inconditum, at multae per innoxios jocos afferendae utilitati par fuit. Quale vero deinde prodiit, ubi ab Eupoli & Cratino in meliorem formam redactum, ac denique ab Ariſtophane expolitum omnino fuit; in eo certe mirum quantum in quoslibet obtrectatio per chorum praecipue debacchabatur. Quod cum jam ferendum non eſſe videretur, lege tandem Athenis lata ſub triginta tyrannis licentia comicorum coercita eſt, ſtatutumque ne cujus vitia nominatim deinceps notari fas eſſet. De qua re Horatius in Arte:

Succeſſit vetus his comoedia non ſine multa
Laude: ſed in vitium libertas excidit, & vim
Dignam lege regi. Lex eſt accepta, chorusque
Turpiter obticuit ſublato jure nocendi.

Poſt id autem temporis, cum ſigillatim homines perſtringendi facultas adempta eſſet, eo poetae comici devenere, ut tacitis quidem nominibus ita tamen privatorum culpas inſe-

cta-

ſtarentur, ut de quonam narraretur fabula, perfacile cuivis eſſet divinare. Atque hoc quidem a ſuperiore diverſum genus illam aliam conſtituit Comoediam, quae inter *veterem* (de qua modo dictum) & *novam* (de qua mox) poſita non immerito *mediae* nomen ſibi deſumſit.

Non vero haec ipſa perduravit: cum enim minime obſcura illa criminatio non paucos in primiſque principes viros in dies laederet, id circo eam quoque tamquam publicae tranquillitatis perturbatricem a ſcena placuit eliminari. Quapropter in ejuſmodi Comoediae expulſae locum nova alia Menandro potiſſimum auctore inducta eſt; quae non niſi ficta atque univerſis mortalibus communia argumenta tractando, & jocos potius ſaleſque quam obtrectationes ſectando nihil exiſtimationi cujuſpiam detractum iret.

II. Ex dictis autem jam per ſe patet, quare Comoediae haec potiſſimum appellatio indita fuerit. Sive enim a Como comiſſationum ac temulentiae numine, ſive verius a κώμη (*pagus*) & ᾠδὴ (*cantus*) nomen illud deducatur; in utraque profecto originatione ipſe, quem indicavimus, hujuſce dramatis ortus elucet.

III. Quod porro ad Comoediae naturam attinet, proprium quidem ac peculiare ipſius eſt, vulgares humilium perſonarum actiones joculariter perſequi. Vnde in proclivi eſt intelligere, tum quam longe illa a tragoedia diſtet, tum vero etiam quam merito definiatur: *Poema dramaticum humiles & privatas actiones non ſine jocis ac facetiis imitans*.

Id totum autem non ad ſolam delectationem ab illa intenditur, ſed eo vel maxime, ut e privatae vitae propoſito exemplo quae potiſſimum vitanda ſint, quaeve imitanda, diſcantur. Quod ſi non raro a praeſtantiſſima hac ratione hoc drama deflectit, id vero poetis vitio verti debet.

C A P V T V.

De Comediae partibus.

I. QVaecumque comici dramatis pro diverſo ejus partium genere peculiaria ſunt, univerſa huc ſimul, perinde ac de tragoedia factum eſt, conjiciemus: atque ante alia quidem quidquid ad memorata ſaepius illa (1) Fabulam, (2) Mores, [3] Sententiam, & [4] Dictionem reſpicit.

1. Primum igitur Fabulae comicae id proprium eſt, ut quamquam a rerum veritate non abhorret, perſaepe tamen com-

commentitia perſequatur argumenta: quandoquidem privatorum illa exhibet actiones, quae cum plerumque obſcuritate ſua ignorentur, verae ſint non oportet. Eadem plane ratio eſt perſonarum, quae per eam producuntur; quibus nimirum utpote falſis, nomina pro arbitrio attribui poſſunt, at ita tamen, ut ipſarum conditioni conveniant; quo pacto apud Plautum miles glorioſus (*Pyrgopolinices* (i. e. *turrium urbiumque victor*) appellatur.

Converſiones porro rerum & agnitiones, quae comicis fabulis intermiſceri ſolent, ejus generis eſſe decet, ut inde non niſi leves perturbationes leneſque animorum motus excitentur; quales videlicet non maximi momenti negotiis pares habentur.

Eaſdem denique fabulas felici ferme hilarique exitu definire non fuit: quem tamen ipſum aliquando non ſervatum docent vetuſtae aetatis exempla.

2. Jam Mores ad Comoediam ſpectantes, quippe tenuiorum perſonarum proprii, longe admodum a tragica gravitate abſcedant: niſi quod heic etiam negligenda non eſt ejuſmodi inter ipſos diſcriminis ratio, per quam convenientia, cujus pluries injecta mentio, perbelle conſtet. Jocos autem ſaleſque, qui praeterea comicis moribus adſpergi ſolent, intra eum omnino modum contineri neceſſe eſt, ut neque unquam in frigiditatem evadant; neque vero in primis (quod plerumque peccatur) caſtimoniae vel paullum adverſentur. Quo quidem potiſſimum nomine ſic pro merito Plautum caſtigat Horatius in Arte:

At noſtri proavi Plautinos & numeros, &
Laudavere ſales: nimium patienter utrumque,
Ne dicam ſtulte, mirati: ſi modo ego & vos
Scimus inurbanum lepido ſeponere dicto.

3. Sententia vero, qua videlicet mens aperitur, cujuſque loquentis conditioni aptari debet: at quae aliquod monitum paucis concludit, ea quidem non plurimum in comica poeſi locum habet, ad quam potius proverbia uſu trita & quotidiano ſermoni familiaria congruunt.

4. Dictionem poſtremo non magniloquam, ſed pro rerum natura humilem Comoedia poſtulat: quod ipſum ad numerum quoque attinet, qui eo fere commendabilior cenſetur, quo minus a proſa oratione diſtare videatur. Ceterum & habet illa, quales ferme tenue dicendi genus, ſuos ornatus; & nonnunquam etiam, ubi turbatius quidquam eſt, attollitur altius: id quod declaravit Flaccus ibid. cum inquit:

Interdum tamen & vocem Comoedia tollit,
Iratuſque Chremes tumido delitigat ore.

At-

Atque haec ſane ſunt, quae Comoediae propria in prioris generis partibus ſeſe produnt.

II. De altero autem partium genere cum nihil iis, quae in de communi dramatis ratione Cap. 1. dicta ſunt, adjicienda ſuperſint; heic tantummodo de Prologo uni Comoediae attributo perpauca proponentur.

Hanc profecto partem ea potiſſimum de cauſſa comico dramati praemitti placuit, ut per eam auditores de toto fabulae argumento, quod per ſe ignotum eſſet, opportune fierent certiores. Quare frequens admodum illud eſt, ut Prologus res ipſas in dramate tractandas exponat; etſi non raro etiam vel poetam fabulamve auditoribus commendat; vel ſcriptoris conſilium declarat, vel adverſis occurrit opinionibus; vel ex his omnibus plura ſimul exſequitur; ad ſummam eadem fere, quae oratorii ſermonis exordium, conficit. Merito igitur eam ille appellationem *ἀπὸ τῦ προλέγειν* (*a praedicendo*) ſibi adſcivit.

Jam vero ſive ab una ſive a duabus perſonis Prologus agatur, peraeque res bene habebit; quippe cum utrumque, licet poſterius non ita crebro, a veteribus factitatum occurrat.

Ac de poeſi Dramatica tantum: ad Exegeticam & Mixtam nunc veniamus.

LI-

LIBER III.

DE POESI EXEGETICA ET MIXTA.

E TRIBVS generibus, in quae univerſam diſtributam eſſe poeſim initio Libri II. enuntiavimus, cum ſatis ſuperque Dramaticum perſecuti ſimus, jam reliqua duo Exegeticum & Mixtum remanent expendenda; id quod toto hoc poſtremo Libro exſequemur.

Exegeticum autem, ut ibidem etiam indicatum eſt, ea omnia complectitur poemata, ubi per ſe ipſe loquitur poeta, etiamſi nonnunquam alienos quoque referat ſermones; cujuſmodi potiſſimum eſt Epopoeia: at Mixtum alia illa, in quibus tum aliqua idem poeta dicit, tum aliae ab eo perſonae ſecum confabulantes inducuntur; cujus plerumque generis ſunt Eclogae.

Inter exegetica vero poemata principem certe locum obtinet Epopoeia. Itaque ab ea non immerito ducemus initium.

C A P U T. I.

De Epopoeia.

NObiliſſimae huic poeſi, quam Epopoeiam appellare ipſa rei ratio veteribus ſuaſit, ab *ἔπος* (*verbum*) & *ποιέω* (*fingo*) factum nomen eſſe perſpicitur. Cum enim *ἔπος* dictionem generatim denotet, praecipue tamen (non ſecus ac *oratio* praeſtantiſſimo eloquentiae operi) illi poeticae locutioni

ni dicendique generi attributum eſt, quod heroica geſta grandi verſu pertractans ceteris fere omnibus non mediocri anteit intervallo.

Proprium igitur Epopoeiae eſt, gravia & admiranda virorum principum facta imitari. Quod ita in Arte teſtatur Horatius:

Res geſtae regumque, ducumque, & triſtia bella
Quo ſcribi poſſent numero, monſtravit Homerus.

Et quamquam illa humilium etiam perſonarum actiones referre non faſtidit, imo & perſaepe neceſſe habet, ut ſuae rerum narrationes ſint omni ex parte abſolutae; in his tamen ipſis non niſi ſumma quaeque & egregia conſectatur: quandoquidem non aliud ſpectat magis, quam granditatem.

Id vero & quidquid reliqui eſt de Epopoeiae natura, totum haec ejus exhibet definitio, qua eſſe dicitur: *Poeſis hexametro verſu illuſtres illuſtrium perſonarum actiones ſublimi narrans oratione*. Atque hinc certe nullius negotii erit colligere, quaenam Epico carmini cum tragoedia ſint communia, quaenam vero ſibi peculiaria & ab hac omnino diverſa.

Verum ut univerſa tandem poematis, de quo agitur, ratio & ſingula quaeque ad ejus conſtitutionem ſpectantia enucleatius explicentur: e re heic maxime erit, in ipſius tum Fabula, tum Partibus, tum Dictione cognoſcenda aliquantulum immorari.

I. Ac de Fabula quidem id omnium primum notatu dignum ſeſe exhibet, primariam ſcilicet actionem, circa quam illa verſetur, hiſtorica veritate, perinde ac de tragoedia dictum eſt, inniti debere, unde facilius toti poemati comparetur fides; ſed & praeterea intexenda veris eſſe plurima ficta, quae admirabilitate ſua & varietate animos reficiant ſimul & concilient.

Quod vero ad actionem ipſam modo memoratam attinet, eam ſane ejuſdem magnitudinem eſſe oportet, ut annuum fere ſpatium non plurimum excedat: licet actiones per epiſodia inſertas intra nullos temporis terminos concludi neceſſe ſit. Ita quidem Iliadis princeps actio uno anno, Odyſſeae etiam non niſi quinquaginta dierum ambitu continetur: at adventitiis porro actionibus aucta, altera ad decem, altera ad undeviginti annos protenditur. Eamdem plane rationem in Aeneide fas eſt perſpicere: ubi cum annuo tempore (e veriore ſententia vel uno loco Aen. I. 539. ſatis probata) primaria actio definiatur, reliquis tamen adjectis ad octo circiter annos excurrit.

Non brevia porro nec rara in epica fabula ſolent eſſe epi-

epiſodia, queis narratio paſſim ornetur & jucunde protrahatur. Id maxime ipſa Aeneis oſtendit, ubi praeter alia ſati frequentia & prolixa, totos duos libros ſecundum & tertium non niſi unum conficit epiſodium.

II Jam Epopoeiae partes tres vulgo recenſentur, (1) Propoſitio, (2) Invocatio, & (3) Narratio.

1. Propoſitionis ad dicendorum ſummam aperiendam comparatae praecipua dos eſt, ut per eam primaria tantum actio paucis & dilucide exponatur. Talis plane animadvertitur illa Virgilii I. Aen.

Arma virumque cano, Trojae qui primus ab oris
Italiam fato profugus Laviniaque venit
Litora.

Ad haec vero commendabilem quamdam modeſtiae ſpeciem praeſeferat Propoſitio neceſſe eſt, atque ab omni jactantia nimiaque magnificentia non aliter quam in oratorio exordio longiſſime abſit. De qua ſane re proderit Flaccum ipſum in Arte loquentem audire:

Nec ſic incipies, ut ſcriptor cyclicus olim;
Fortunam Priami cantabo & nobile bellum.
Quid dignum tanto feret hic promiſſor hiatu?
Parturient montes, naſcetur ridiculus mus.
Quanto rectius hic, qui nil molitur inepte!
Dic mihi Muſa virum, captae poſt tempora Trojae
Qui mores hominum multorum vidit, & urbes.
Non fumum ex fulgore, ſed ex fumo dare lucem
Cogitat, ut ſpecioſa dehinc miracula promat,
Antiphatem, Scyllamque, & cum Cyclope Charybdim.

Qua de cauſſa improbatur illud valde ſublime initium, unde Thebaidem Statius aſpicatur:

Fraternas acies, alternaque regna profanis
Decertata odiis, fonteſque evolvere Thebas
Pierius menti calor incidit.

2. Invocatio porro, qua Numinis auxilium imploratur, ſubjici plerumque propoſitioni ſolet a Latinis. Itaque Maro poſt rem propoſitam ſubdidit:

Muſa mihi cauſſas memora, &c.

At Graeci ſcriptores cum propoſitione ipſa invocationem inflectere conſueverunt: qua etiam ratione non raro uſi ſunt ipſi Latini; ut Idem IV. Ecl.

Sicelides Muſae, paullo majora canamus.

In qua tamen re fatendum eſt, exordium ex ſeparata propoſitione & invocatione conflatum, gravius & magnificentius altero videri.

Ejuſ-

Ejuſmodi autem invocationem, quae attentionem excitat & auctoritatem poemati parat, illis in locis iterare moris fuit, ubi nova aliqua difficultas occurreret. Id profecto agitur VII. Aen. 41. cum ſic canit poeta:

Tu vatem, tu diva mone: dicam horrida bella,
Dicam acies, &c.

Et paſſim alibi.

Neque vero Deorum tantum praeſidium, ſed & virorum principum ſavorem flagitare veteres ſolebant: quo pacto Idem I. Georg. 24. Auguſtum invocat.

Heic autem monere juvat nequaquam Chriſtianis ſcriptoribus decere, falſorum Numinum uti invocationibus, niſi ſi quando ἀλληγορικῶς (*allegorice*) accipi queant; ut Muſae pro poetica facultate. Minerva pro ſapientia, &c. Potius igitur debebunt illi, in primiſque cum religioſa res agitur, Dei O. M. Caelitumque praeſidium poſtulare. Confer omnino huc, quae de hoc genere fuſius Lib. I. 4. diſputata ſunt.

3. Poſt propoſitionem & invocationem ſequitur Narratio, quae totam plane Epopoeiae occupat molem; ut propterea quaecumque praeceptiones ſive modo de epica, ſive Lib. I. de tota poetica ratione traditae ſunt, univerſae in illa ſervari debeant. Nos autem ne iiſdem revolvendis actum agamus, perpauca tantum hoc loco de praecipuis ipſius dotibus attingemus. Quae enim a rhetoribus, eadem a poetis attribuuntur, Probabilitas, Brevitas, Perſpicuitas, & Suavitas, licet non omnes eadem omnino notione.

Et ſane poeticae narrationis Probabilitas alia non eſt a veriſimilitudine, de qua abunde dictum Lib. I. 9.

Brevitas vero nihil aliud poſtulat, niſi ut loquacitas declinetur.

At Perſpicuitas perinde ac in oratoria narratione, omnia ita dicta requirit, ut per ſe ſingula ſine ulla conjectoris opera intelligantur.

Ad Suavitatem denique pertinent elocutionis elegantia, figurarum ſplendor, aptus numerorum concentus, epiſodiorum ornatus, exitus inopinati, & plura id genus alia.

III. Quod porro ad Dictionem ſpectat, quamquam pleraque eorum, quae Lib. I. 6. de dictione poetica generatim dicta ſunt, huc maxime referri debeant; e tironum tamen uſu fore creditum, nonnulla in eamdem rem hoc ſpeciatim loco proferre.

Certe quidem cum rerum naturae accommodanda elocutio ſit, ſublimem admodum eſſe decet epici carminis dictionem, quippe cum ipſius interſit ſumma omnia imitari. Hinc

primo fit, ut modificata vocabula ad magnificentiam comparata quam plurimum conſectetur: qualia occurrunt in illo I. Aen. 163.

. . . . , . Inſula portum
Efficit objectu laterum, quibus omnis ab alto
Frangitur, inque ſinus ſcindit ſeſe unda reductos;
Hinc atque hinc vaſtae rupes, geminique minantur
In caelum ſcopuli.

Ex epithetis praeterea congruenter aptatis plurimum ſaepe roboris haurit epica dictio; ut II. Aen. 210.

Ardenteſque oculos ſuffecti ſanguine & igni
Sibila lambebant linguis vibrantibus ora.

Et ibid. 355.

. . . . Inde lupi ceu
Raptores, atra in nebula, quos improba ventris
Exegit caecos rabies, catulique relicti
Faucibus exſpectant ſiccis; per tela, per hoſtes
Vadimus haud dubiam in mortem.

Multam etiam vim eidem dictioni afferunt figurae verborum, ac prae reliquis repetitio; cujuſmodi illa eſt III. Aen. 522.

Cum procul obſcuros colles humilemque videmus
Italiam: Italiam primus conclamat Achates:
Italiam laeto ſocii clamore ſalutant.

Majeſtatis quoque comparandae gratiam aliquam ex antiquis aut peregrinis vocibus epici ſcriptores locutioni ſuae immiſcere aliquando conſueverunt. Ita Virg. X. Aen. 108.

Tros Rutuluſve fuat, nullo diſcrimine habebo.

Et XI. 301.

Praefatus Divos ſolio rex infit ab alto.

Tum vero I. 123.

Arma virum, tabulaeque, & Troja gaza per undas.

Ad granditatem denique dictionis conducit maxime tum magnifica quaedam verborum ſtructura, tum idonea numerorum modulatio; de quibus jam ſatis multa allata ſunt Lib. I. 6.

Illud autem poſtremo rei ratio monere jubet, in epica dictione non ſere magis ab humili abjectoque dicendi genere, quam a putida affectatione & immodica magniloquentia cavendum eſſe.

Ca-

C a p u t II.

De Carmine Bucolico.

Bucolicam poeſim, quae non ſecus ac epica hexametro etiam utitur verſu, ἀπὸ τῶν Βουκόλων (*a bubulcis*) nuncupatam fuiſſe conſtat, a paſtoribus nimirum inter reliquos, quos ad canendum illa producere conſuevit, nobilioribus. Quae vero ad eam pertinent poematia, Eclogae ab ἐκλέγω (*eligo*) appellata propterea fuerunt, quod olim e pluribus id genus carminibus non raro, ut prima ſeſe dabant initia, rudibus atque impolitis nonnulla eligi ſolerent, quae mandata memoriae per agros evulgarentur.

Jam quae multa de hujus poeſis origine traduntur, in primiſque de contentione inter Lacones & Siculos exorta, utriuſque ejus inventionis gloriam ſibi vindicantibus; eorum certe omnium nihil eſt tanti, ut nos vel paullum temorari debeat. Itaque his univerſis omiſſis, hoc unum, ut reliquorum certiſſimum, contenti erimus ſignificare, illius ſcilicet ortum ruſticae ac paſtorali vitae praecipue deberi.

Et ſane non aliud, quam ruſticorum mores perſequi, propoſitum ſibi habet Bucolica poeſis; ut propterea definiatur: *Ruſticae actionis imitatio*. Qua de cauſſa nihil illa ſapit urbanum, nihil habet illuſtre; cum potius univerſis in ea agros ſilvaſque redolentibus, praecipuus ejus character ſit ruſticitas. Neque enim aliunde vel perſonas fictaque harum nomina, vel comparationes, ſimilitudines, deſcriptiones, allegorias, aliaque rerum genera, niſi a rure ac ſaltibus deſumit. Quod ut aliquo exemplo comprobetur, hujuſmodi certe ſunt ſimilitudines illae apud Virgilium V. Ecl. 45.

Tale tuum carmen nobis divine poeta,
Quale ſopor feſſis in gramine, quale per aeſtum
Dulcis aquae ſaliente ſitim reſtinguere rivo.

Et ibid. 81.

Quae tibi, quae tali reddam pro carmine dona?
Nam neque me tantum venientis ſibilus Auſtri,
Nec percuſſa juvant fluctu tam litora, nec quae
Saxoſas inter decurrunt flumina valles.

Haec autem modo dicta adeo vera ſunt, ut etiam, cum aliquando Ecloga ad heroum canendas laudes aſſurgit, ne tum quidem a rebus agreſtibus facile abſcedat. Palam id fit maxime ex Ecloga IV. ejuſdem poetae; ubi quamquam is Pol-

lionis filium recens natum ſublimiore quodam dicendi genere concelebrat, quare & in primo exordio veniam quodammodo poſtulat; in ipſa tamen ſtyli granditate non plurimum ruris refugit humilitatem. Neque vero alia ratione Idem Ecl. V. interempti Julii Caeſaris (ex recepta admodum Joſephi Scaligeri aliorumque ſententia) nomen & geſta nobilitat.

Ex his igitur jam patet, quantum ab epica elocutione dictio bucolici carminis diſtare debeat, quippe cum ſit illa ſublimiſſimis quibuſque rebus, haec plerumque humillimis accommodanda. Vnde eſt, ut non haec multis troporum ac figurarum gaudeat ornamentis; exotica ac vetuſta vocabula averſetur; ſonantiorem numerorum concentum a ſe rejiciat; nec fere longiore ac nimis contorto ambitu includi velit. Id vero unum ſummopere veluti ſuo jure poſtulat, ut in ſua tenuitate exquiſito tamen quodam verborum nitore atque elegantia decoretur.

Quod porro ad metricam rationem attinet, illud omittendum non eſſe videtur, cum bucolica poeſis hexametris verſibus conſletur, iis tamen a Theocrito in cantu paſtorum attextos aliquando alternis pentametros fuiſſe.

Denique in bucolicis ita rem tranſigi, ut vel ipſe poeta univerſa enuntiet, vel alios colloquentes inducat, vel partim ipſe loquatur, partim alios confabulantes faciat, id omne notius eſt, quam ut pluribus inculcari neceſſe habeat.

C a p u t. III.

De Satyra.

VNde Satyrae nomen defluxerit, non plane convenit inter ſcriptores. Sunt tamen nonnulli, qui illam a Satyris Bacchi comitibus in dicacitatem maxime pronis dictam arbitrantur. Alii vero ſic appellatam cenſent a *ſatura*, lance nimirum variis rerum generibus referta; quandoquidem ajunt ſatyricam poeſim complecti multa ac diverſa argumenta conſueviſſe. Cui certe ſententiae favere non minimum videtur Juvenalis, cum inquit Sat. I.

Quidquid agunt homines, votum, timor, ira, voluptas,
Gaudia, diſcurſus, noſtri eſt farrago libelli.

Et re quidem vera non alia ab hoc genere fuit Ennii & Varronis Satyra, multiplici non ſolum materia ſed metro etiam intexta.

Prima

Prima autem ſatyrici carminis apud Romanos origo illi Vrbis aetati adſcribitur a Livio VII. 2. cum primum ad ludos ſcenicos converſis animis, acciti ex Etruria ludiones ſine carmine ullo, ſine imitandorum carminum actu ad tibicinis modos haud indecore ſaltabant. Quos deinde Romana imitata juventus inconditis praeterea verſibus ſeſe invicem coepit inceſſere. His vero poſtquam etiam modi & congruens actio acceſſerunt, tum demum Satyra prodiit: quae inter dramata locum habuit ad id uſque temporis, quo Livius Andronicus a Satyris ad fabularum argumenta animos traduxit.

Atque haec quidem, de qua hactenus, Satyra vetus fuit: At vero nova, quae ſcilicet humana vitia narrando inſectaretur, primum omnium Lucilium ſortita eſt auctorem. Haec igitur definitur: *Poeſis exegetica corruptos mores jocis perſtringens*.

Quonam autem id poeſeos genus praecipue ſpectet, non difficile cuiquam erit e re ipſa colligere. Cum enim idem ei, qui reliquis poematis, propoſitus ſit finis, commune videlicet emolumentum; certe quidem non aliud, quam ipſorum, quos carpit, morum correctionem quaerat neceſſe eſt. Non itaque illud ad alienam lacerandam famam aut privatim homines vexandos (quo non raro injuſtiſſime detorquetur) ſed ad ipſa tantum vitia objurganda eſt comparatum; nec vero quaelibet, ſed quae riſum potius ciere quam horrorem inferre queant. A qua eſt cauſſa, quamobrem jocis ſolummodo utatur, qui non niſi levioribus curandis malis habentur idonei.

Dictionem porro ejuſmodi a ſatyrico carmine flagitari, ut licet pura & elegans, ſubmiſſa tamen ſit & quotidiano ſermoni vix abſimilis, ſatis oſtendit dicendi genus illud, quod in conſcribendis Satyris uſurpavit Horatius: de cujus ratione ita ipſe pronuntiat I. Serm. 4.

Primum ego me illorum, dederim quibus eſſe poetas,
Excerpam numero; neque enim concludere verſus
Dixeris eſſe ſatis: neque ſi quis ſcribat, uti nos,
Sermoni propiora, putes hunc eſſe poetam.
Ingenium cui ſit, cui mens divinior, atque os
Magna ſonaturum, des nominis hujus honorem.

Neque vero in dictione ſolum id ille ſervavit, ut a pedeſtri ſermone nil fere diſcederet: ſed in numeris etiam, quos remiſſos atque abruptos, tamquam ſatyricae poeſi magis congruentes, quamvis a gravitate verſus hexametri alieniores, ſequi conſulto maluit.

Caput IV.

De Elegia.

Elegiae nomen ἀπὸ τοῦ ἐλέγου (*a luctu*) fuiſſe derivatum, meritiſſimo creditur ; quippe cum ipſa ad res lugubres deflendas nata maxime videatur. Ad quod apppoſite Ovidius & *flebile carmen* V. Triſt. eam appellat, & Tibulli mortem deploraturus inquit:

Flebilis indignos, Elegeia, ſolve capillos:
Ah! nimis ex vero nunc tibi nomen erit.

Quamquam autem de Elegorum auctore nihil plane explorati habetur, prout teſtatur Flaccus in Arte, cum ait:

Quis tamen exiguos elegos emiſerit auctor,
Grammatici certant, & adhuc ſub judice lis eſt;

conſtat tamen in iiſdem apud Graecos excelluiſſe omnium primos Callinum & Mimnermum ; poſt hos vero faſtigium attigiſſe Callimachum Cyrenaeum & Philetam Coum ; quos propterea non raro ſimul memorat Propertius, ut III. El. 1.

Callimachi manes, & Coi ſacra Philetae,
In veſtrum, quaeſo, me ſinite ire nemus.

Inter Romanos vero hac poeſeos parte praeſtitere Tibullus, Propertius, & Ovidius: qui tamen tot ſaepe foeditatibus ſua carmina referſerunt, ut ex his quaedam adoleſcentibus praeſertim omnino fugienda', quaedam etiam non niſi perpurgata antea ſint adeunda.

Elegiae porro materia, ut paullo ante ſignificatum eſt, luctus dumtaxat & funera olim ſuere: deinde vero ad gaudia quoque ſeſe extendit. Quare Horatius in Arte cecinit :

Verſibus impariter junctis querimonia primum,
Poſt etiam incluſa eſt voti ſententia compos.

At grave certe argumentum elegiacae poeſi minime convenit ; quae nimirum ob pentametri tenuitatem exilior eſt, quam ut majori rerum oneri ſuſtinendo par ſit. Contra quod cum egiſſet Ovidius, ita de ſe ipſe conqueritur II. Faſt.

Quid volui infelix elegis imponere tantum
Ponderis? Heroi res erat iſta pedis.

Non dubium tamen eſt, quin ad ſublimiora nonnunquam ejuſmodi poeſis efferatur, & illuſtriorem grandioremque quamdam induat rationem ; ut ex graviſſimorum ſcriptorum exemplis exploratum habetur.

Ad elegiacam porro dictionem tamquam praecipuae dotes

tes pertinent, 1.° ejuſmodi elegantia, per quam verba pura admodum ac nitida, atque ab omni prorſus ſive antiquitatis horrore ſive novitatis obſcuritate ſint aliena: 2.° aequabilitas, quae in leni quodam nec vario dicendi genere poſita animi ſedatioris, qualem Elegia poſtulat, eſt indicium: 3.° ſuavitas, cujus gratia neceſſe eſt, tum ut dictio ipſa perſpicua ſit, morata, ac ſuis inſtructa affectibus; tum vero in primis ut quemlibet a ſe ſtrepitum, aſperitatem, atque hiatum prohibeat. Hac igitur de cauſſa ita agendum erit, ut ab Elegorum elocutione longe abſit & is verborum concentus, qui nimiopere feriat aures; & is litterarum concurſus, unde aut hiet oratio, aut turpiter collidatur. Qua quidem in re peccare ſolet Catullus, vetuſtioris aetatis diligentior, quam par eſſet, ſectator; in hoc propterea minime imitandus. Quis enim facile hoc ferat 74.?

Quam modo qui me unum atque unicum amicum habuit.

Aut illud 96.?

Quam coepta eſt, nonamque edita poſt hiemem.

Atque heic e re nata monere ſubit, maximam ſane in elegiaco carmine rationem numeri habendam eſse, ut is nullum fere fragorem generans placido veluti ac dulciter ſonanti agmine fluat. Idque ſi ubique locorum, praecipue vero in pentametris, ubi cantus abſolvitur, ſervari decet. Itaque ut paucula in hanc quoque rem tironibus enucleentur, etſi in prima penthemimeri liberum ſit pedes, ut libet, collocare; elegantius tamen cenſetur dactylum ſpondaeo, ubi uterque concurrat, praeponere: ut apud Tibullum I. 1.

Et teneat culti jugera multa ſoli.

Quod ille quidem maluit, quam:

Et culti teneat jugera multa ſoli.

Hoc autem non adeo perpetuum eſſe debet, ut ad claudendam monoſyllaba vocula penthemimerim, vel ad orationis obumbrandam claritatem ſcriptorem impellat. Tunc enim alia omnino via tenenda eſt, quam nimirum inſtituit Idem III. 5. ubi cecinit:

Cum ſe purpureo vere remittit hiems.

Et ibid. 6.

Candide Liber ades: ſic ſit tibi myſtica vitis
Semper, ſic hedera tempora vincta feras.

In ſecunda vero penthemimeri duris colliſionibus vitandis longe major adhibenda eſt opera, quippe cum ibi aures conquieſcant. Quod autem praeterea traditur, in ejuſdem penthemimeris fine voces diſſyllabas tamquam ei convenientiores plerumque uſurpari conſueviſſe; verum id quidem eſt, at ita tamen

Tunc caedes hominum generi, tunc praelia nata;
Tunc brevior dirae mortis aperta via eſt.

Ad haec per interrogationem Ovidius de Pont. I. 7.
Per allocutionem vero Propertius IV. 1.

Ecquid, ut audiſti (nam te diverſa tenebat
Terra) meos caſus, cor tibi triſte fuit?

Per allocutionem vero Propertius IV. 1.

Hoc quodcumque vides, hoſpes, quam maxima Roma eſt,
Ante Phrygem Aeneam collis & herba fuit.

Tum per ſermocinationem Idem ibid. 2.

Quid mirare meas tot in uno corpore formas?
Accipe Vertumni ſigna paterna Dei.
Thuſcus ego, & Thuſcis orior, nec poenitet inter
Praelia Volſinios deſeruiſſe focos.

Atque hi quidem praecipui modi ſunt, quibus elegiam exordiri & contexere moris fuit: ad quorum calcem ſubjicimus, nonnunquam elegiacos poetas extra propoſitum argumentum excurrentes ipſa digreſſione carmen abſolvere, perinde fere atque in odis (de quarum ratione infra) fieri ſolet.

C a p u t V.

De Epigrammate.

NOn aliud plane veteres Epigrammatis nomine, niſi quodvis inſcriptionis genus deſignatum voluiſse, vox ipſa ἀπὸ τῦ ἐπιγράφειν (*ab inſcribendo*) deducta patefacit. Quidquid igitur donariis, templis, ſtatuis, monumentis, aliiſque id genus ad rei cujuſpiam recordationem incideretur, idque ſive uno ſive pluribus verbis, ligata aut ſoluta oratione, Epigramma proprio vocabulo dicebatur. Ejuſmodi eſt illud apud Virgilium III. 288.

Aeneas haec de Danais victoribus arma.

Ex his autem ſatis apparet Epigrammatum hujus rationis antiquitas, quae cum ipſa religione videantur exorta; quippe cum jam a prima aetate homines iis rebus, quas Diis conſecrabant, nomen ſuum donique cauſsam inſcribendam curarint.

Quoniam vero hujuſcemodi epigraphae perpaucis quamplurima complectentes mirum in modum ſeſe omnibus probabant; hinc conſuetudo cujuslibet argumenti pari brevitate tractandi apud poetas paſſim iuvaluit. Idque ſane carminis genus Epigramma illud eſt, de quo heic agitur, quodque defini-

finitur: *Breve carmen rem aliquam ſimpliciter indicans, aut aliud ex alio deducens*.

Ut igitur hinc patet, primus epigrammatis character eſt brevitas, quae quidem eo vel maxime eſt commendanda, quod angusto ambitu multa concludat. Illud autem praeterea ex definitione ipſa perſpicitur, duplicis id carmen generis eſſe, quod Simplex & Compoſitum nonnullis diſcriminis ergo placuit appellare.

Jam Simplex epigramma dicitur, quo res aliqua ſine ulla comparatione aut deductione deſcribitur: quale eſt ſcitiſſimum illud epitaphium, quod ſibi ipſe Maro morti jam proximus concinnavit:

Mantua me genuit: Calabri rapuere: tenet nunc
Parthenope. Cecini paſcua, rura, duces.

Compoſiti vero epigrammatis ea eſt ratio, ut aliud cum alio conferat, aut ex alio derivet. Huc pertinet illud Catulli 50.

Diſertiſſime Romuli nepotum,
Quot ſunt, quotque fuere, Marce Tulli,
Quotque poſt aliis erunt in annis:
Gratias tibi maximas Catullus
Agit peſſimus omnium poeta:
Tanto peſſimus omnia poeta,
Quanto tu optimus omnium patronus.

Tum illud Martialis I. 13.

Cum peteret regem decepta ſatellite dextra,
Injecit flammis ſe peritura focis.
Sed tam ſaeva pius miracula non tulit hoſtis,
Et raptum flammis juſſit abire virum.
Vrere quam potuit contemto Mucius igne,
Hanc ſpectare manum Porſena non potuit.
Major deceptae fama eſt & gloria dextrae,
Si non erraſſet, fecerat illa minus.

Hujus porro carminis materia ampliſſima eſt, ut ei propterea feſtive admodum Scaglier III. Poet. 126. in Appendice mel, fel, acetum, & ſalem tribuerit, vel nimirum de jucundis amoeniſque rebus agenti; vel vitia acriter inſectanti; vel eadem leviter carpenti; vel demum facete, argute, innoxieque ludenti. Verum quomodo id totum intelligendum ſit, & quam rationem in his ſingulis, contra etiam ac non raro veteres perperam egerunt, ſervari oporteat, id vero ſubſequentes praeceptiones palam facient.

1° Itaque, cum praecipua epigrammatis ſupra cetera carmina ſit oblectatio, eliminanda penitus ab eo ſunt argumenta non modo, uti a reliquis poematis, contumelioſa, quae

ſcilicet in privatorum vitiis verſentur, cum nihil obtrectatione injucundius ſit & odioſius; multoque magis laſeiva, queis tum pietas maxime tum ipſa urbanitas hominibus gratiſſima praeter modum offenditur; ſed etiam humilia, quae nimirum res abjectiores, quam quibus auditor gaudere poſſit, perſequantur. Quod cum ita ſe habeat, non juſta certe epigrammata conſcripſiſſe credendi ſunt quicumque ex antiquis poetis propoſitam regulam violarunt, in primiſque qui ſua carmina putidis ſordibus deturparunt; inter quos potiſſimum Martialis & Catullus excelluerunt, hoc ſane nomine omnino damnandi.

2.° Vitare opus eſt ſententias tum hyperbolicas, tum vero praecipue falſas; quandoquidem nullas res aeque epigramma commendat, ac ſimplex quaedam veritas, qua ſummopere mortalium animi delectantur. Haec ipſa autem ut ſibi conſtet, id praeſertim curae haberi debet, ut ſemota ambitione verba rebus proportione aptentur.

3.° Nec minore ſane ſtudio declinanda eſt loquacitas, quippe breviloquentiae maxime epigrammatis propriae e regione oppoſita.

4.° Plurimum etiam intereſt vocabula nimis trita ab hoc carminis genere ob elegantiam praecipue commendabili amovere: necnon quemvis ferme verborum luſum, unde plerumque non aliud, quam inepte ſententiae oriri ſolent.

5.° In jocis illuc potiſſimum advertendus eſt animus, ne affectati ſint, aut inſulſi, aut denique ejuſmodi, ut non niſi generando faſtidio videantur idonei.

6.° Denique ea debet eſſe hujus poematii conſtitutio, ut optima omnia optimeque expreſſa praeferat; nihil ſupervacaneum, aut ab inſtituto habeat alienum, animos ad extremum uſque ſuſpenſos detineat; tum vero conſtanti quadam dignitatis elegantiaeque aequabilitate ab exordio ad finem univerſis ſe probet, vel etiam ita claudatur, ut gravi aliqua ſententia aut acumine auditores pleniſſime expleat.

Atque ejuſmodi quidem dotibus non minime ornata ſe produnt duo haec epigrammata, quae heic ad calcem exempli loco ponimus: quorum alterum Catulli ſimplicitate potiſſimum, brevitate, ac munditie, alterum Martialis ſententiae in primis gravitate & acumine effulget. Sic igitur ille initio ſuorum carminum:

Cui dono lepidum novum libellum,
Arida modo pumice expolitum?
Corneli, tibi; namque tu ſolebas
Meas eſſe aliquid putare nugas.

Jam

Jam tum, cum auſus es unus Italorum
Omne aevum tribus explicare chartis
Doctis, Jupiter! & laborioſis.
Quare habe tibi quidquid hoc libelli eſt,
Qualecumque: quod, o patrima Virgo,
Plus uno maneat perenne ſaeclo.

Martialis vero II. 68.

Quod te nomine jam tuo ſaluto,
Quem regem & dominum prius vocabam;
Ne me dixeris eſſe contumacem:
Totis pilea ſarcinis redemi.
Reges & dominos habere debet,
Qui ſe non habet; atque concupiſcit,
Quod reges dominique concupiſcunt.
Servum ſi potes, Ole non habere;
Et regem potes, Ole, non habere.

De metro demum, quod unum ſupereſt, monere juverit, epigrammata elegiaco, jambico, phaleucio, atque heroico carmine conſcribi poſſe.

Caput VI.

De Poëſi Lyrica.

CVm jam de univerſis illis carminum generibus ſermonem habuerimus, quae propter hexametri uſum poſt epopeiam expedienda videbantur; conſequitur ut in praeſenti de poeſi Lyrica ſeu Melica videamus. Et quod primum omnium ad nomina ipſa attinet, non immeritò Lyricae appellationem ſibi illa adſcivit; quippe quae ad lyram cantari ut plurimum ſoleret, licet nonumquam etiam ad tibiam caneretur. Quare autem Melica quoque nuncupata fuerit, id vero ab ejus excellentia ortum eſt: ut nimirum id ſpeciatim ei inderetur nomen quod omnibus poematis commune erat: *μέλη* enim generatim quaevis carmina dicta ſunt. Quod etiam de Odarum & Carminum nominibus factum fuit; quae peculiari ratione, cum ſingulis quibuſque convenirent, lyricis poematiis attribui placuit.

Materiam porro hujus poeſis latiſſime patere, palam illico fiet conſideranti complexam eam fuiſſe laudes tam divinas, quam humanas commendationes deſcriptioneſque cujuslibet rerum generis; hortationes ſive ad virtutum amorem, ſive ad odium vitiorum; queſtus, hilaritates, jocos; ad ſummam

mam quaecumque non nimis prolixo carmine tractari poſſe viderentur.

Vt vero in quovis ex his argumentis melicae poeſis ratio ſervetur, ad duo potiſſimum adhibenda eſt cura, ad Structuram nimirum, & ad Suavitatem,

I. De Structura non abs re erit primo loco monere, Pindarum quidem ſolere carmini aliquod exordium praeponere; Horatium vero ſtatim rem ipſam aggredi, ut ubi aequabilitatem animi ſuadere nititur II. 3.

Aequam memento rebus in arduis
Servare mentem; non ſecus in bonis
Ab inſolenti temperatam
Laetitia, moriture Deli.

Haec autem ratio cum apud eum frequentiſſima ſit, nonnunquam tamen & ipſe ab altiore aliquo principio exorditur; ut I. 12.

Quem virum, aut heroa, lyra, vel acri
Tibia ſumes celebrare Clio?
Quem Deum? cujus recinet jocoſa
Nomen imago
Aut in umbroſis Heliconis oris
Aut ſuper Pindo, gelidove in Haemo.

Eodem pacto III. 1.

Odi profanum vulgus, & arceo.
Favete linguis: carmina non prius
Audita, Muſarum ſacerdos,
Virginibus pueriſque canto.

Jam in rebus ipſis componendis ea non raro tenetur via, ut illae nihil plane a propoſito alienum prae ſe ferentes una nec varia ſerie ab initio ad finem uſque decurrant. Ad hoc ſane ſtructurae genus non pauca Horatiana carmina concinnata occurrunt; ut e reliquis illud II. 3. quod totum non niſi de contemnenda pecunia agit.

At ſaepe tamen ita diverſae ſimul res uno carmine connectuntur, ut eas vehementior potius quaedam inflammati animi vis, quam accuratus aliquis delectus contraxiſſe videatur. Familiariſſimum enim lyricis poetis eſt, ubi ſeſe aliqua dederit occaſio, per varia argumenta vagari atque ad res ab inſtituta materia remotiores excurrere; quin etiam crebro ipſis digreſſionibus odas abſolvere. Videre id quidem apud Flaccum pluribus in locis licet; veluti III. 2. ubi tum bellicae fortitudinis, tum virtutis in univerſum, tum religioſi ſilentii laudes ſine uno prope vinculo conjunguntur. Ad haec I. 3. cum Maroni iter in Graeciam ingredienti bene ominetur

tur poeta, tum vero ad deteſtandum navigationis uſum atque ad humani ingenii inſectandam audaciam evagatus hoc ipſo argumento concludit oden.

II. Suavitas porro, quae melicae poeſeos primaria dos eſt, e (1) Rebus oritur, (2) Dictione, & (3) Numero.

1. Res ad ſuavitatem comparatae praecipuae ſunt fontes, horti, agri, valles; tum veris, autumni, ſerenitatum, tempeſtatumque deſcriptiones; atque innumerabilia id genus alia. Eapropter amoenos admodum ſe exhibent Horatiani verſus illi I. 4.

Solvitur acris hiems grata vice veris, & Favoni;
Trahuntque ſiccas machinae carinas:
Ac neque jam ſtabulis gaudet pecus, aut arator igni;
Nec prata canis albicant pruinis.

Et II. 3.

Qua pinus ingens, albaque populus
Umbram hoſpitalem conſociare amant
Ramis, & obliquo laborat
Lympha fugax trepidare rivo.

Huc autem pertinent in primis ſimilitudines; quae cum per ſe jucundae ſunt, tum vero maxime, cum ab amoenis rebus deſumuntur. Suaviſſima certe eſt haec I. 12.

Creſcit occulto, velut arbor, aevo
Fama Marcelli: micat inter omnes
Julium ſidus, velut inter ignes
Luna minores.

2. Verba praeterea, quo jucunditatem afferant, propria debent eſſe, nitida, & latinam venuſtatem redolentia; qualibus paſſim utitur Horatius.

Ad id ipſum porro conducunt primum 1.° verba tranſlata; cujuſmodi haec I. 3.

Nec timuit praecipitem Africum
Decertantem Aquilonibus,
Nec triſtes Hyadas, nec rabiem Noti,
Quo non arbiter Adriae
Major, tollere ſeu ponere vult freta.

2.° Locutiones, quae aliquid peregrini ſapiant; ut I. 12.

Blandum & auritas fidibus canoris
Ducere quercus,

Et II. 2.

Vivet extento Proculejus aevo,
Notus in fratres animi paterni.

3.° Sententiae; quibus certe, non ſecus atque exoticis dicendi formulis, id proprium eſt, ut etiam gravitatem (alteram ly-

rici

rici carminis dotem) cum ſuavitate conjungant. Ejus generis eſt illa I. 4.

Vitae ſumma brevis ſpem nos vetat inchoare longam.

4.° Figurae dictionis; uti e reliquis repetitio, quae jucunda ſimul & vehemens eſſe ſolet. Ita II. I.

Jam nunc minaci murmure cornuum
Perſtringis aures: jam litui ſtrepunt:
Jam fulgor armorum fugaces
Terret equos, equitumque vultus.

III. Quod denique ad Numerum attinet, eſt is quidem jucundiſſimus praecipue ex diverſitate pedum, ex qua undeviginti non minus carminum genera apud Flaccum occurrunt; cui ſane datum, ſuavitatis laude ceteros lyricos ſcriptores ſuperare.

C A P. U L T I M.

De reliquis poëmatiis.

QUoniam quaecumque reliqua ſunt poematia, in iis non tam diverſum aliquod a ſuperioribus poeſeos genus, quod pluribus tractari oporteat, quam ſola fere argumentorum ratio ſpectanda exhibetur; idcirco eadem huc ſimul omnia congerere e re fore credidimus. Ea igitur (quae plerumque ad heroicam, aut lyricam poeſin revocantur) ita ſigillatim percurremus, ut quidquid cuique peculiare ſit, paucis expediamus. Etſi autem eorum aliqua, utpote nullum fere praebitura uſum, merito praeteriri quirent; ipſa tamen certe quorſum olim ſpectarint, noviſſe proderit.

D E G E N E T H L I A C O.

Genethliacum, ſive Natalitium carmen eſt, quo cujuſpiam nativitas celebratur. vel etiam anniverſaria natalis diei memoria recolitur. Ejus autem materia petenda eſt vel ab iis, quae nativitatem ipſam anteverterunt, veluti a parentum virtute & nobilitate, a patriae ſplendore, ac ſimilibus; vel a tempore, quo nativitas contigit, ab inſigni nimirum aliquo pacis die, aut a bellis ea tempeſtate furentibus; vel denique ab iis, quae nativitatem ſunt conſecuta, ut a populi laetitia, ab hoſtium timore, atque a futurorum facinorum auſpiciis.

Peropportunum vero erit in hujuſmodi carminis genere ſermonem aliquando vel ad Deum referre, obteſtando ut puerum publicae felicitati incolumen ſervet; vel ad infantem ip-

ſum, munera offerendo; vel ad parentes aut patriam, illis gratulando.

Haec ſane ejuſdemque notae alia prae ſe fert elegantiſſimum illnd hujuſce carminis ſpeciem, quod in nativitate filii Pollionis exhibuit Virgilius Ecl. IV. Primum enim ibi quae eam praeceſſerant Sibyllina oracula, tamquam de puero illo edita, recenſet. Lucinae inde favorem ei adprecatur. Ad Pollionem mox converſo ſermone, eidem de nato puerulo gratulatur. Hujus poſtea perilluſtrem divinamque vaticinatur vitam. Tum ipſum affatur infantem, eique obventura bona praenuntiat: futuram orbis tranquillitatem commemorat: ac tandem fatorum de puero ſtabilitate expoſita, blanditiis, quibus ipſum ad riſum invitat, Genethliacum concludit.

De Epithalamio.

Quod in nuptiarum celebritate cani ſolebat, id quidem poematii genus Epithalamium, ſeu Nuptiale carmen appellatum fuit. Ejus autem potiſſimum erat verſari in conjugum laudibus a generis amplitudine, a natalis ſoli celebritate, & omnium maxime a virtutum claritate & magnitudine derivatis: ad haec laetis contexendis omnibus auſpicatiſſima quaeque portendere: ad vota praeterea ſuſcipiendae ſobolis ſeſe convertere: ac demum pro perpetuis totius familiae commodis caeleſte praeſidium deprecari.

De Soteriis.

Cum jam olim munera, quae amicis pro reparata valetudine mittebantur, Soteria a σώζω (*ſervo*) dici placuerit; hoc ipſo inde nomine donatum eſt carmen, quod eadem illa de re contexi conſuevit. Huic autem materiam praebet tum declaratio laetitiae, quae ex amici incolumitate percepta eſt; tum deſcriptio malorum, quae ab ipſius exitio imminebant; tum grati in Superos animi ſignificationes, qui praeſentiſſima eum ope adjuverint; quos etiam obteſtari par erit, ut eumdem privatae publicaeque rei quam diutiſſime ſervent.

De Propemptico.

Propemptici appellatio a προπέμπω (*deduco*) derivata illi carmini adhaeſit, quo quis proficiſcentem amicum proſequeretur. In eo igitur aperire decet tam animi in abeuntem ſtudium, quam metum ne quid in itinere ſiniſtri ei accidat. Idcirco

Idcirco pericula ſcriptor cum non levi ſollicitudine enuntiabit: conditionem ſuam miſeram triſtemque in illius abſentia futuram teſtabitur: divinum denique Numen obſecrabit, ut externis eumdem oris ſoſpitem reddat.

De carmine eucharistico.

Quoniam Euchariſtici carminis propria eſt gratiarum actio, hinc merito id ei nomen ἀπὸ τῦ εὐχαρίζειν (*ab agendis gratiis*) quaeſitum fuit. Ejus autem ratio in eo maxime conſiſtit, ut & accepti beneficii magnitudinem extollat; & ipſius memoriam ſempiternam polliceatur; & largitoris munificentiam commendet; & multa eidem bona a Deo expoſtulet.

De Epinicio.

Carmen ad victorias illuſtrandas comparatum, Epinicium ἀπὸ τῆς νίκης (*a victoria*) dictum eſt; licet a nonnullis ad ſolas victorias in ludicris certaminibus relatas pertinuiſſe credatur. Plurimam ſane ei ſegetem ſuppeditat ipſius victoriae amplitudo, militum virtus, ducis conſilium, reddita patriae ſalus & tranquillitas, atque alia id genus plurima.

De Epicedio.

E' diverſis funebrium carminum generibus, quorum varius veteribus uſus fuit, Epicedium ἀπὸ τοῦ κήδους (*ab exſequiis*) vocatum eſt, quod in perſolvendis juſtis canebatur. Quod enim ad rogum adhiberi conſuevit, id vero Naenia dicta fuit: quod autem ad tumulum, Epitaphium; quod etiam inde preſſius pro ſepulcrali elogio ſumtum eſt, de quo mox pauca ſubjicientur.

Jam Epicedii eſt mortui laudes contexere, virtutes ac recte facta enarrando; luctum de ejus interitu, damnaque inde enata enuntiare; honores vita functo habitos exponere; ac ſempiternam ei felicitatem exoptare. Ita plane ſe res habet Ecl. V. Maronis, ubi Daphnidis quidem mortem deflet Mopſus, Nympharum ſilvarumque triſtitiam commemorans; divinis vero illum honoribus conſecrat Menalcas, paſtorum Nympharumque laetitiam & agrorum ſecuritatem ex ipſius caeleſti vita redundantem declarans.

De Epitaphio.

Inter epigrammata, de quibus jam ſatis ante dictum, non ultimum locum obtinet Epitaphium: quo nomine, ut modo indicavimus, ſepulcralis inſcriptio ἀπὸ τοῦ τάφου (*a ſepulcro*) nuncupata fuit.

Hujus quidem carminis (nihil enim heic de epitaphiis ſoluta oratione conſcriptis) propria quaſi eſt ſingularis quaedam brevitas; tum quod haec dolori convenientior eſt, tum quod illud praetereuntibus olim proponebatur: qua de cauſſa non raro *breve carmen* & *brevis titulus* a veteribus vocatur. Ceterum opus eſt fateri, nonnunquam Latinos aliquanto Graecis prolixiores in hoc poematis genere fuiſſe.

Praebent autem epitaphiis materiam vel defuncti geſta ac virtutes, vel illuſtria aliqua mortis adjuncta aut cauſſae, vel immaturi fati deploratio, vel humanae conditionis commemoratio, vel quid aliud hujuſmodi. Huc ſane ſpectat illud Tibulli I. 3.

Heic jacet immiti conſumtus morte Tibullus,
Meſſalam terra dum ſequiturque mari.

Et hoc Martialis X. 51.

Ille ego ſum Scorpus, clamoſi gloria Circi,
Plauſus, Roma, tui, deliciaeque breves:
Invida quem Lacheſis raptum trieteride nona,
Dum numerat palmas, credidit eſſe ſenem.

Quibus duobus adjectum omnino volumus tertium Pacuvii, ſimplicitate in primis ſua incomparabile; quod legitur apud Gellium I. 24.

Adoleſcens tametſi properas, hoc te ſaxum rogat,
Vt ſe adſpicias; deinde, quod ſcriptum eſt, legas.
Heic ſunt poetae Pacuvii Marci ſita
Oſſa. Hoc volebam, neſcius ne eſſes. Vale.

De Paeane.

A cognomine Apollinis, quod fuit *Paean*, appellationem mutuatum eſt carmen, quod primum omnium ad ejus Numinis celebrandas laudes ob interfectum ab eo immaniſſimum draconem a Delphica gente concinnatum fuit. Deinde vero hoc ipſo nomine dici illud coepit, quod vel in ejuſdem vel in aliorum Deorum honorem pro aliqua relata bello victoria canebatur. Hinc apud Maronem Aeneas VI. 656.

Conſpicit ecce alios dextra laevaque per herbam

Ve-

Veſcentes, laetumque choro paeana canentes.

. . . .

Heic manus, ob patriam pugnando vulnera paſſi.

Conſtabat autem Paean Numinis invocatione, & triumphi ſpoliorumque deſcriptione, cum crebra illa acclamatione: *Io Paean*; quam tamen adhibere perpetuum non fuit.

Alius vero ab hoc (ut id etiam obiter moneamus) fuit Paean, qui ad Martis implorandam opem, antequam committeretur praelium, concini conſuevit.

De Dithyrambo.

Carmini Bacchum laudibus proſequenti, ex eodem, qui Dythyrambus dictus, haec ipſa appellatio deſumta fuit. Originem autem illud traxiſſe creditur a ruſticorum conviviis & hilaritate, qui vino madidi & Bacchi furore perciti ad ipſum celebrandum agebantur.

Ab hac itaque fuit cauſſa, quamobrem cum non mediocrem mentis aeſtum id poematii genus praeſeferre deberet, dictione gauderet praeter modum ſublimi, verbis audaciſſime compoſitis, ſummaque in primis metri licentia, quippe quod nullo certo verſuum genere adſtrictum varia ſimul permiſceret. Quapropter Horatius IV. Od. 2. cecinit:

Fervet, immenſuſque ruit profundo
Pindarus ore
Laurea donandus Apollinari,
Seu per audaces nova dithyrambos
Verba devolvit, numeriſque fertur
Lege ſolutis.

De Silvis.

Vt id quoque poematii genus poſtremo hoc loco tironibus palam fiat, Silvae appellata ſunt carmina veluti ex tempore & ſubito quodam calore mentis emiſſa. Et ſane de ſuis Silvis Statius in Praefatione Libri I. teſtatur, nullam ex illis biduo longius tractam, quaſdam etiam ſingulis diebus effuſas. Inde igitur ejuſmodi donatae illae ſunt nomine, quod in ipſas indigeſta quaſi rudiſque materies principio congeri videretur. Quam quidem licet, reſidente tandem primo illo animi impetu, diligentius dedolare curae eſſet; non tamen omni ex parte aut multo cum ſtudio elimare moris fuit.

Sed jam nihil ſupereſt, quominus totius poeticae rei tractationi finem heic faciamus: cum praeter ea, quae abunde

hactenus tradita ſunt praecepta, nihil plane ad eam facultatem penitus comparandam requiri videatur. Id vero unum ſummopere cupimus; ut quod potiſſimum in hiſce Inſtitutionibus pertexendis animo intendimus, ex noſtra totum ſententia cedat; itaque fiat, ut in adoleſcentulos eiſdem operam daturos vera ſemper ac ſolida proficiſcantur illinc emolumenta.

IN-

Digitized by Google

I N D E X

Librorum & Capitum

I N S T I T V T. O R A T.

ΠΡΟΛΕΓΟΜΕΝΑ *DE NATVRA RHETORICES*. Pag. 7.

L I B E R P R I M V S

D E I N V E N T I O N E. 10

Cap. I. De argumentis in genere. . 10
Cap. II. De argumentis ἀποδεικτικοῖς. . 11
Definitio. 11
Partium Enumeratio. . . 12
Notatio. 13
Conjugata. 13
Genus. 13
Formae. 14
Similia. 14
Diſſimilia. 14
Contraria. 15
Adjuncta. 16
Antecedentia. 16
Conſequentia. 17
Repugnantia. 17
Cauſſae. 17
Effecta. 18

Comparata. . 18
CAP. III. De generibus cauſſarum, & primum de genere Demonſtrativo. . . 19
CAP. IV. De genere Deliberativo. . 23
CAP. V. De genere Judiciali. . . 25
CAP. VI. De argumentis remotis. . 28
CAP. VII. De argumentis ἠθικοῖς. . . 30
CAP. VIII. De argumentis παθητικοῖς. . . 31
De Amore. 31
De Miſericordia. . . . 33
De Metu. 35
De Confidentia. . . . 36
De Ira. 37
De Lenitate. 38
De Æmulatione. . . . 39
De Pudore. 39

LIBER SECVNDVS

DE DISPOSITIONE. 41

CAP. I. De Exordio. . . . 41
CAP. II. De Propoſitione. . . 45
CAP. III. De Narratione. . . 46
CAP. IV. De Confirmatione. . . 48
CAP. V. De Amplificatione. . . 50
CAP. VI. De Confutatione. . . 52
CAP. VII. DE Epilogo. . . 53

LI-

LIBER TERTIVS.

DE ELOCVTIONE. 55

CAP. I. De Sermonis elegantia. . 55
CAP. II. De Perſpicuitate ſermonis . . 57
CAP. III. De Tropis 58
Metaphora 59
Metonymia. 61
Synecdoche. 63
Ironia. 65
CAP. IV. De Troporum formis. . 65
Metalepſis 65
Antonomaſia 66
Litotes. 66
Euphemiſmus 66
CAP. V. De Troporum affectionibus. . 67
Allegoria. 67
Catachreſis. 69
Hyperbole 69
Emphaſis. 70
CAP. VI. De Schematis Verborum . . 71
Schemata verborum orta e detractione. 71
Schemata verborum ex adjectione. 72
Schemata verborum e repetitione. 73
Schemata verborum e ſimilitudine. 75
Alia quaedam Schemata Verborum. 76
CAP. VII. De ſchematis ſententiarum. 78

Di-

Cap. VII. De frigido ſeu tumido dicendi genere. 99
Cap. VIII. De tenui dicendi genere ejuſque vitio. 100
Cap. IX. De mediocri dicendi genere, ejuſque vitio. 101
Cap. X. De ſtyli venuſtate. . . 102
Cap. XI. De ſtyli gravitate. . . 104
Cap. Vltimum De Actione. . . . 106
Oratio I. Caroli Majelli Sem. Neap. Alumni, dein Moderatoris, poſtea Bibliothecae Vaticanae Praefecti, & Secretarii Brevium ad Viros Principes, in funere Card. Tournonii. . . . 109
Oratio II. Caroli Majelli ad Summum Pontificem Innocentium XII. poſt abſolutas Conſtitutiones Synodales auctoritate Jacobi Card. Cantelmi Archiepiſc. Neap. 119
Oratio III. Caroli Majelli in adventu Franciſci Card. Pignatelli Archiep. Neap. 139
Oratio IV. Caroli Majelli pro recuperata ſalute Caroli II. Hiſpaniarum Regis. 147

IN-

INDEX

LIBRORUM & CAPITUM

INSTITVT. POËT.

ANTELOQVIVM *DE NATVRA POETICES*. *Pag.*165.

LIBER PRIMUS.

DE REBVS ET VERBIS POETICIS. 165

Cap. I. De Fictione poetica . . 165
Cap. II. De Fictionis poeticae dotibus. 168
Cap. III. De Fabulae ordine. . 171
Cap. IV. De Fabulae ſolutione. . 172
Cap. V. De moribus, & ſententia. . 174
Cap. VI. De dictione poetica. . 177

LIBER SECVNDVS

DE POESI DRAMATICA. 180

Cap. I. De communi dramaticae poeſeos ratione. 180
Cap. II. De Tragoediae origine, etymo, & natura 183
Cap. III. De variis Tragoediae partibus 185

Cap.

Cap. IV. De Comoedie ortu, veriloquio, atque ingenio. 188
Cap. V. De Comoediae partibus. 189

LIBER TERTIVS.

DE POESI EXEGETICA, ET MIXTA. 192

Cap. I. De Epopoeia. . . . 192
Cap. II. De Carmine Bucolico. . 197
Cap. III. De Satyra. . . . 198
Cap. IV. De Elegia. . . . 200
Cap. V. De Epigrammate. . . 203
Cap. VI. De Poeſi Lyrica. . . 206
Cap. Vltimum De reliquis poematiis. 209
De Genethliaco . . . 209
De Epithalamio. . . . 210
De Soteriis 210
De Propemptico . . . 210
De Carmine Euchariſtico. . 211
De Epinicio. . . . 211
De Epicedio. 211
De Epitaphio. . . . 212
De Paeane. 212
De Dithyrambo. . . . 213
De Silvis. . . . 213

Adm.

Adm. Rev. Dominus D. Ignatius Calcius S. Th. Prof. revideat, & in ſcriptis referat. Datum die 15. Octobris 1765.

PH. EPISCOPUS ALLIFANUS VIC. GEN.

JOSEPH SPARANUS CAN. DEP.

EMINENTISS. ET REVERENDISS. DOM.

OPuſculum hoc *Inſtitutiones tum Oratorias, tum Poeticas* comprehendens, nullo pacto nec Fidem vellicat, nec bonos mores: quanta vero elegantia & perſpicuitate ſcriptum ſit, quantaque accuratione ad captum adoleſcentium ſit elaboratum, aliis potiis aequi, bonique cultoribus, quam in ipſo Seminario degentibus videndum eſt & proferendum.

Tibi, Domine Eminentiſs. & Reverendiſs.

Neap. ex Ædib. Sem. III. Non. Novembr. M. DCC. LXV.

Addictiſs. & Obſequentiſſ.

Ignatius Calcius

Magn. U. J. D. Januarius Vicus in hac Regia Studiorum Univerſitate Profeſſor Eloquentiae revideat, & in ſcriptis referat. Datum Neapoli die 17. Decembris 1764.

NIC. DE ROSA EPISC. PUT. CAP. MAJ.

TUo juſſu Viri Clariſſimi Caroli Majelli Inſtitutiones cum Oratorias, tum Poeticas legendas ſuſcepi, de quo tanta animo non immerito inſedit opinio, ut (dicam enim quod ſentio) venerabundus potius ad eas acceſſerim. Ipſa quae tractat argumenta, nec fuſe, nec prolixe, ſed miro ordine, perlucida brevitate, & nitidiſſima elocutione in duo ἐγχειρίδια redacta, longe abſunt a noxii cujuſquam ſuſpicione. Cumque praecepta vel graviſſima, niſi in aliquo illuſtri exemplo perſpiciantur, ſemper arida, & ſterilia ſint futura, optimo factum conſilio, luculentiſſimam ejus Orationem in Funere Cardinalis Turnonii Romae habitam, in qua Romana Majeſtas cum latina puritate certare videtur. Oratoriis inſtitutionibus, tamquam exemplar, proponere; ne de grege videretur eorum, qui vice cotis tantum funguntur. Sed quorium

abeo?

abeo? Sua cum Opera in ampliſſimum deferunt cenſum litteratorum, qui Majorum Gentium vere poſſunt appellari, eique nominis pariunt immortalitatem, tantum abeſt, ut doctiſſimi cujuſque, nedum mea, egeant, laude, & commendatione; ac proinde nequeo ſatis mirari, qua de cauſſa in umbra tamdiu delituerint. Quapropter e re ſtudioſae Iuventutis, ut quamprimum edi imperes, cenſeo, ne litteraria Reſp. iis careat diutius ornamentis.

Datum Neapoli IX. Kal. Jul. MDCCLXV.

Majeſtatis Tuae Numini

Devotiſſimus.

Januarius Vicus.

Die 17. Menſis Auguſti 1765. Neapoli.

Viſo reſcripto ſuae regalis Majeſtatis ſub die 10. *currentis menſis, & anni, ac relatione U. J. D. D. Januarii Vico de Commiſſione Reverendi Regii Cappellani Majoris, ordine praefatae Regalis Maieſtatis.*

Regalis Camera Sanctae Clarae providet, decernit, atque mandat, quod imprimatur cum inſerta forma praeſentis ſupplicis libelli, ac approbationis dicti Reviſoris. Verum in publicatione ſervetur Regia Pragmatica; Hoc ſuum.

GAETA.
DE FIORI.

Illuſtris Marchio Citus Praeſes S. R. C. tempore ſubſcriptionis impeditus, & ceteri Illuſtres Aularum praefecti non interfuerunt.

Reg. fol. 121.

Carulli.

Athanaſius.

Coetuſque vulgares, & udam
Spernit humum fugiente penna.

Virgilius vero ad affectus poſt enarratam Priami caedem excitandos, apte admodum per deplorandam fortunarum contentionem inquit II. Aen. 554.

Haec finis Priami fatorum: hic exitus illum
Sorte tulit, Trojam incenſam & prolapſa videntem
Pergama, tot quondam populis terriſque ſuperbum
Regnatorem Aſiae: jacet ingens litore truncus,
Avulſumque humeris caput, & ſine nomine corpus.

Atque huc ſane pertinent figurae ſententiarum, quarum cum maximum ſit ad quaelibet exprimenda robur, maximus etiam ad id ipſum eſt apud poetas uſus. De his autem fuſe dictum in Inſtit. Orat. III. 6.

2. Altero porro ſenſu accepta ſententia, quo nimirum breve eſt & generale dictum ad informandam vitam idoneum, certe quidem & ipſa inter poeticas res obtinet locum; cum per eam & morata fiat oratio, & affectus facile communicentur. Hujus generis illa eſt apud Maronem IX. Aen. 641.

Macte nova virtute puer: Sic itur ad aſtra.

Ceterum ut ejuſmodi effata parce adhibita non debent reſpui, ita rurſus nimia eorum frequentia & acumen valde damnatur.

MAG 2014438

Digitized by Google

2

9

12

33

5